Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Johann Andreas Hannesen

Ioannis Andreae Hannesenii Qvondam I. V. D. Et Pro-Syndici Goettingensis Sylloge Opvscvlorvm Minorvm Varii Argvmenti

Gottingae Et Lipsiae: Vendit Victor. Bossigel, 1755

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670/phys_0001
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670/phys_0003
DFG

F.R.
34. a. 11.

Opr. p. 28.

F a. 3003.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670/phys_0004
DFG

IOANNIS ANDREAE HANNÉSENII
QVONDAM I. V. D. ET PRO-SYNDICI
GOETTINGENSIS

SYLLOGE OPVSCVLORVM MINORVM VARII ARGVMENTI.

PRAEFATVS EST
D. CHRIST. FRIDER. GEORG. MEISTER
PROFESSOR IVRIS ORDINARIVS
ET FACVLT. IVRID. ASSESSOR



GOTTINGAE ET LIPSIAE
VENDIT VICTOR. BOSSIGEL. 1755.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670/phys_0007
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670/phys_0008
DFG

PRAEFATIO.

Quum hisce opusculis rogatu eius, cuius prodeunt impensis, non nihil praefandum sit; lectorem in limine statim, monendum esse arbitror, eorum, si vnum excipias, quod de origine conuitiorum quorundam inscribitur, reliqua iam olim singulatim typis vulgata esse. Recognouerat auctor, singula epistolam illam, in qua de gladio academico haud iniucunde differitur, multis locupletauerat accessionibus, atque coniunctim edendi consilium ceperat; sed mors executionem praeuenit. Opuscula ipsa

quippe in variis relationibus librorum publicis exornata laudibus, & eruditorum adplausum promerita, commendatione mea quidem non indigent: vt tamen, quae sentiam, paucis dicam, auctoris ingenium neutiquam aspernabile, & vtilia mixta dulci, in iis deprehendisse mihi videor. Imprimis vero bonae frugis plena est commentatio, qua NOODTII emendatio *legis 13. D. de pignor. act.* tentata, suo momento ponderatur. Quam quoties cogito emendationem, toties magni huius viri ingenium admiror atque amo; simul tamen aegre fero iniquitatem quorundam, qui auctoritatis praeiudicio caeci, nihil rectum, verum, pulcrum reputant, nisi ab homine magnae auctoritatis, & famae profectum, caeterorum vero tantum non omnia nauseant. Exemplo esse potest ista NOODTII emendatio. Seculo namque decimo sexto exeunte vixit Marpurgi IOANNES NIELLIVS ICtus non incelebris, qui controuersias iuris feudalis in lucem emisit, in quarum dissertatione tertia primus putauit aegrotam esse *legem* 13, ac emendatione iuuandam: incuria librarii enim ibi pro AT repositum VT; quem lapsum ob literarum similitudinem, facilem fuisse, credidit. Scripserat haec NIELLIVS vir iuuenis, nec magni no-

nominis; hinc vt nulla attentione digna, ab eruditis neglecta sunt. Ast, vix tentauerat emendationem eandem NOODTIVS, quum ICtorum plurimi admiratione stupefacti, VLPIANI mentem iam ab omnibus teneri, & manibus quasi comprehendi, conclamarent.

Cuius occasione emendationis delatus ad ipsam, in *lege 13.* propositam speciem, perpendens imprimis, IVLIANI, & VLPIANI sententiam, de actionibus debitori competentibus, aduersus emtorem, cui venditum est pignus, ea lege, vt si soluerit debitor pecuniam pretii emtori, liceret ei recipere rem suam; incido in quaestionem: *vtrum actio pignoratitia contra tertium possessorem dari possit?* Constat inter omnes, ante SCHILTERVM hanc quaestionem secundum principia iuris canonici a doctoribus vnanimi consensu adfirmatam esse. Hic enim in exercitationibus ad Dig. exc. XXVI. th. 10. negauit, in *cap. 6. X. de pignor.* de pignoratitia actione sermonem esse, potiusque Papam ibi de rei vindicatione locutum contendit. SCHILTERO contradixit LEYSERVS *sp.* CLV. *m.* V, qui communis interpretationis veritatem, ex ratione decidendi a Pontifice capitulo subiecta, palpabilem esse,

sibi persuasit; quae sententia, quanti facienda sit, nunc in medio relinquo. Verum enim vero, eundem LEYSERVM ingenio suo nimis indulsisse credo, dum ipsum ius romanum, pignoratitiae actioni, contra tertium possessorem, locum dedisse, statuit. Prouocauit ad L. 2. C. *si piguus pignori datum sit*, in qua DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS Imperatores Gemello cuidam, possessionem, a parentibus eius pignoris iuri obligatam, a creditore alii creditori, pignori datam, *soluto eo quod ex hac caussa creditori debebatur*, recuperare permittunt. Insigne robur etiam accipere putat sententiam suam ex *L. 3. C. si vendito pignore agatur:* vbi ab ALEXANDRO Imperatore, emtores seruorum opignoratorum ad hos, *recepto pretio*, debitori restituendos, damnantur. Opinatur itaque LEYSERVS, quia in vtraque lege concedatur quidem debitori, aduersus eum, cui a creditore pignus, vel pignori datum, vel venditum, actio, sed non, nisi soluto debito, vel pretio (quod manifestum actionis pignoratitiae indicium sit) non posse istam actionem non esse pignoratitiam. Quae conclusio, etiam si vera sit, exinde tamen, quod vult LEYSERVS, scilicet actionem pignoratitiam a iure ciuili contra tertium possessorem datam

tam esse, neutiquam sequitur. Sed vtriusque legis reddamus rationes. Nimirum, res aliena, quamuis non possit pignori dari, ac res pignorata, si eius dominium spectes, intuitu creditoris, aliana sit; iam dudum tamen placuit, vt loquuntur GORDIANVS in l. 1. C. *si pignus pignori datum sit*, & ALEXANDER *in lege 4. C. quae res pignori obligari possunt*, & nomen debitoris pignorari, & id, quod pignori obligatum est, a creditore pignori rursus obstringi posse: scilicet, vt sequenti creditori vtilis actio detur, tamque diu eum is, qui ius repraesentat, tueatur, quam diu in caussa pignoris manet eius, qui dedit.

Rationem, ob quam placuerit iam dudum, pignus a creditore alii dari posse pignori, ANTONIVS PEREZ *in Praelection. in Cod. Iustin. Lib. VIII. tit. 24. §. I.* in vtilitate contrahentium ponit. Sed cur petamus tam alte, quod proximum est? Latet enim in datione pignoris pignori, cessio. Et quidni creditori sit integrum, ius pignoris, eodem, quo ipse habet, modo in alium transferre? cum omne illud, quod transmittiur ad heredes, cedi quoque possit, *l. 42. D. de administr. & peric. tut.* inuito etiam, & ignorante debito-

bitore *l. 3. C. de hered. vel act. vend*, quod is, cui cessa est actio, iure cedentis vtitur l. 5. C. *eod.* Neque aliud creditor, pignus dans pignori, agit, quam, vt illud ipsum, quo in re oppignorata gaudet, ius in suum creditorem transferat. Rem ita esse, Imperatorum rescripta, quae in titulo Codicis: *si pignus pignori datum*, supersunt, aliaque prudentum placita passim obuia, docent, in quibus, pignoris dationis pignori, iura & effecta, ex principiis cessionis iurium, & actionum, aestimata esse, nemo non animadvertit.

Quod diximus, paucis probatum dabimus. Ipse GORDIANVS pignoris pignori dati hanc vim esse voluit, *vt sequenti creditori vtilis actio detur, tamque diu eum is, qui ius repraesentat* (scil. praeses prouinciae, l. 1. C. *vbi causa status agi debeat*) *tueatur, quamdiu in causa pignoris manet eius, qui dedit.* En cessionis iura, quae cessionario tribuunt actiones vtiles, illudque ipsum ius, quo cedens fruitur. Quemadmodum ergo, finito iure dantis, finitur ius habentis ab eo causam; ita simul ac creditori primo satisfactum est, a debitore suo, nexus pignoris in cedente, adeoque & in cessionario

nario definit. L. 2. C. *Si pignus pignori datum sit.* Elegans est species, adque rem faciens, quam tractauit PAPINIANVS in L. 40. §. 2. D. *de pignor. actione*, vbi docet, soluta pecunia, creditorem, possessionem pignoris, quae corporalis apud eum fuit, restituere debere, nec quicquam amplius praestare cogi; itaque, si medio tempore pignus creditor pignori dederit, domino soluente pecuniam quam debuit, secundi pignoris neque persecutionem dari, nec retentionem relinqui. Neutiquam igitur audietur secundus creditor, qui post pecuniam a debitore primo, creditori primo solutam, vtili aduersus illum actione conatur experiri, ob ius primi creditoris extinctum; cum eaedem ipsi exceptiones obiiciuntur, quae in mundo sunt contra cedentem. Huius vero certe submouebitur actio hypothecaria, soluto debito instituta. Eodem ex principio e contrario, secundus creditor, antequam debitor primo soluit creditori, ius pignoris, distrahendo exercere poterit; neque debitori primo, debiti oblatione, distractionem rescindere integrum erit *l.* 1. *in fin. C. Si pignus pignori datum sit.* Quoniam tamen debitor cedenti non recte soluit, postquam a cessionario ei facta nunciatio ces-

sionis, interpositaque obtestatio est, L. 3. C. *de nouation. & deleg.* atque, procuratore in rem suam dato, praeferendus non est dominus procuratoris, in litem movendam, vel pecuniam suscipiendam, cum, qui suo nomine vtiles habet actiones, rite eas intendat: *l. 55. D. de Proc. & Defens.* facile intellectu est, secundo creditori, qui pignus pignori accepit, hypothecariam dari vtilem, etiam solutione facta creditori primo, a pignoris domino; si modo huic denunciauerit ius sui pignoris, vtque ipsi, non primo creditori solueret *L. 4. C. Quae res pign.*

Si quando cedens actionem, ac cessionarius, a cessione recedunt, aut quouis alio ea tollitur modo, eo ipso ille contra quem cessa erat actio, non liberatur. Ita sane & in pignoris datione est, quae pignori fit. Hinc, si primus creditor soluerit suo, seu secundo, liberauit pignus quod illi dedit, non vero etiam quod a suo debitore accepit.

Debitorem, cessionario qui soluit, forte ab eo vtili conuentus actione, se sumque creditorem liberasse, manifestissimi iuris est. Eadem erit causa, si pignus datum sit a creditore, vt pignori sit. Po-

ne

ne namque, debitorem, actione vtili hypothecaria pulsatum, creditori secundo soluisse; & vtrumque pignus, vna numeratione, peremtum erit. *L. 18. pr. D. de Pign. act.*

Quae cum ita sint, cum creditor secundus vice primi fungatur, & primus debitor, post pignoris dationem pignori, contra primum creditorem *inuitum* ne experiri quidem amplius posse ipsi *Leyfero* visus fuerit; vix coniectura licet augurari, qua tandem via magnus hic ICtus, eo se abripi passus fuerit, vt ex *Lege* ista 2. C. *Si pign. pign. dat.* actionis pignoratitiae aduersus tertium possessorem, ipso iure romano, competentis probationem, peti posse crediderit. Datur, verum est, debitori actio pignoratia aduersus eum, cui creditor pignus dedit pignori; verum enim vero, hic secundus creditor non tertius quidam possessor haberi potest, quippe qui ipsius primi creditoris gerit personam, adeoque ab hoc diuersus non est. Igitur, vti secundo creditori vt cessionario, tam exceptio quam actio vtilis datur *L. 13. §. 2. D. de pign. & hyp.* ita & debitori primo sue pignoris domino, omne iuris auxilium non potest non competere, quod leges ei aduersus primum

mum creditorem largiuntur. Quo minus ergo actio pignoratitia contra creditorem primum, non soluto debito competit, aeque minus contra huius cessionarium seu creditorem secundum, ante quam soluerit, eadem experiri actione debitor poterit.

Vides L. B. ea quae DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS A A. in *Lege 2. C. Si pignus pignori datum sit*, rescripserunt, Leyterianae sententiae praesidium esse nullum. Haud maioris roboris est argumentum, quod ex *Lege 3. C. Si vendito pignore agatur* LEYSERVS petiit, quodque excutiam, quando nec otium deest. Scripsi enim haec raptim, in summa vacui temporis inopia.

SERIES OPVSCVLORVM.

I. De probatione per comparitionem literarum subsidiaria. p. 1.

II. De non existentia LL. diuinarum positiuarum vniuersalium. p. 57.

III. De gradibus academicis. p. 201.

IV. De conditione bello captorum. p. 225.

V. Von des Herrn Noodts Ausbeßerung des L. 13. §. 1. D. de pignorat. actione. p. 235.

VI. Ob Limon seine leibliche Schwester Elpinice zur Ehe gehabt. p. 285.

VII. Von der ausserordentlichen Grösse des Königes Davids *p. 321.*

VIII. Der entdekte Oel-Götze. *p. 358.*

IX. Ob bei Lebzeiten eines Lehnträgers, welcher seiner Dienste erlassen, das Lehn gemüthet werden müsse? *p. 401.*

X. De opinata Senatus in causa rerum ad ciuitatem pertinentium iudicantis recusatione. p. 409.

XI. Abhandlung von Academischen Degen. *p. 431.*

XII. Von den Ursprung einiger Schimpfreden. *p. 465.*

PRAE.

Liceat hic subsistere ne magis opusculum quam codicillum scripsisse videar, neque TIBI generosissime DN. DE BVSCH, plura adferendo, sim molestus. Finem itaque impono huic dissertatinnculae absque omni virtutum, quibus maxime ornatus es, enarratione. praesertim quum longe maiorem, hunc morem obseruando, quam longius codicilli filum producendo TIBI crearem molestias; ita enim esse solet, vt viri ad gloriam nati laudem suam, quamuis bene meritum, aegre percipiant. Silentio itaque inuoluo animi TVI dotes, optimam studiorum TVORVM rationem, vitam, quam apud nos vixisti, lucubrationibus plenam, & paucis & multa dicam, Deo omnibus bonis probatam. Faxit interim summum Numen vt saluus & incolumis ad ea, quae TIBI parata sunt, honorum fastigia non solum proxime ascendas, sed &, iuxta omnium

um bonorum vota, in optimis rerum administrationibus generosissime Gentis TVAE bene erga rempublicam merita superes, TIBIQVE fausta & felicia quaecunque cedant. Tandem has literas velim existimes foederis habituras esse vim non epistolae, meque ea, quae TIBI debeo, sanctissime esse obseruaturum Dabam Goettingae Octobris CIↃ IↃ CCXLIX.

OPVSCVLVM DE PROBATIONE PER COMPARATIONEM LITERARVM SVBSIDIARIA

EIVSQVE

PRAXI FORENSI

IMPRIMIS

IN TERRIS BRVNSVIGO-LVNEBVRGICIS

VSITATA

QVO

LECTIONES SVAS

HOC SEMESTRI AESTIVO

ADIVVANTE NVMINE DIVINO

HABENDAS

INDICIT

JOANNES ANDREAS HANNESEN

I. V. D.

GOTTINGAE,

STANNO HAGERIANO

cIↃIↃCCXLIII.

VIRIS IVVENIBVS

GENEROSISSIMIS NOBILISSIMIS

NEC NON

DOCTISSIMIS

DOMINIS SVIS AVDITORIBVS SVAVISSIMIS

MORVM OPTIME COMPOSITORVM SANCTIMONIA

ET

STVDIORVM RATIONE

CONSPICVIS

J. C. Auenario *Gothano.*
J. C. A. Berwardt *Cellerfelda Cher.*
A. W. Bobers *Hannou.*
J. M. Brandis *Hildef.*
F. A. Breithaupt.
J. C. Burmeſter *Saxo Leob.*
H. H. Buſſe *Luneb.*
M. C. Doerrien *Hildef.*
J. F. C. Ebeling *Schulenb. Hannou.*
H. Elten *Lauenb.*
H. L. Engenhagen *Holſa to.*
J. F. de Heimbruch *Equiti Brem.*
G. L. Heſſe *Einbec.*
C. H. Hinuber *Wildeshuſo Hannou.*
J. O. Hœper *Polla Hannou.*
E. L. Hogreve *Jeinſa Hannou.*
J. W. Jacobs *Gothano.*
C. H. Iden *Stadenſi.*
A. H. Kemna.
G. H. Kirchmann *Stadenſi.*

M. J. Lauenſtein *Hildeſ.*
O. J. Leiſt *Oſena Hannou.*
E. W: Menſching *Oſterod.*
F. A. Mithoff.
J. H. Mormann *Luneb.*
J. H. Niemann. *Neoburg.*
J. C. Niemeyer *Winſena Luneb.*
G. C. Pape *Cellenſi.*
A. F. Pini *Gandersh.*
J. C. de Reck *Equit. Hannou.*
J. D. Richter *Pomerano.*
H. Rindfleiſchii *Haſſo Caſſel.*
A. O. E. Roſenhagen *Wienhuſa Cell.*
J. H. Schultze *Verdenſi.*
L. D. Seegers *Hannou.*
G. F. Sembach *Saxo Leob.*
F. F. Tournau *Ulzena Cell.*
A. C. Varenholtz. *Hildeſ.*
J. B. Vater *Hannou.*
L. B. G. Vogler *Lindo Coburg.*
G. Fr. Weber *Fallerslebia Luneb.*
H. Woldt *Lubecenſi.*
G. A. D. Zinn *Cellenſi.*

HOC QVALECVNQVE OPVSCVLVM
D. D. D.
AVCTOR.

CON.

CONSPECTVS TOTIVS ARGVMENTI.

§. I. Comparatio literarum est remedium extraordinarium. §. II. Non obstat ordinatio Cancellariae Calenbergensis. §. III. Ordinatio Tribunalis Cellensis, circa hoc argumentum, inferiorem etiam tenet judicem. §. IV. Vtrum ordinatio Trib. Cellens. admittat comparationem literarum ante juratam diffessionem, nec ne? §. V. Comparatio per commissarios expediri potest. §. VI. Comparatio duas requirit scripturas, scripturam nempe ex qua, & ad quam. §. VII. Scriptura ex qua triplex est. §. VIII. Scriptura ad quam testes non requirit. §. IX. An reus in comparatione literarum ad scribendum compelli possit. §. X. De comparatione literarum a coeco scriptarum. §. XI. Comparationem eligens jurare debet. §. XII. Periti de credulitate jurant. §. XIII. De comparationis effectu. §. XIV. Dreherus notatur. §. XV. Alius Dreheri error. §. XVI. Explicatur Nou. 73. §. XVII. Comparatio an producat plenam, an semiplenam

probationem. §. *XVIII. De probatione circa mercatorum libros.* §. *XIX. De publici instrumenti comparatione.* §. *XX. Ordinationis Tribunalis Celensis mens de comparationis effectu.* §. *XXI. An comparatio locum inueniat, testium elogiis jam publicatis.* §. *XXII. Specialis casus, a judicio Gottingensi decisus, enarratur.* §. *XXIII. Examinatur casus si vnus testis adest.* §. *XXIV. Comparatio admittit reprobationem.* §. *XXV. De poena documentum falso diffitentis.* §. *XXVI. Conclusio opusculi.*

Q. F.

Q. F. F. Q. S.

DE PROBATIONE PER COMPARATIONEM LITERARVM SVBSIDIARIA.

§. I.

COmparationem literarum probandi modum esse subsidiarium, tum ex natura rei, tum ex legibus nostris prouincialibus & Doctorum consensu satis adparet. Natura hujus probationis sistit actum difficilem & periculi plenum, non solum quod multi dentur impostores, qui alienas scripturas adcurate imitari possunt, sed & quod multum in calami & atramenti qualitate situm sit, nec non temporis lapsu literarum ductus mutari soleant, quum multo saepius homines aliter in juuentute aliter in senectute scribant, immo artis scriptoriae periti literarum elementa in diuersos ductus mutare possint. Ne dicam quod artem callentes in scripturarum collatione facile falli possint.

Amice consspirat *ordinat. Trib. Cell. P. 2. tit. 8. Sect. 2. §. 7.* in verbis: oder wo er solche (Zeugen) alters halber, oder weil diejenigen, denen die producirte Hand und Siegel bekannt,

schon gestorben, nicht haben könte. Item: Weil es aber mit der comparatione literarum an sich eine gar gefährliche Sache ist, indem es Leute giebt, die eines andern Hand so gar eigentlich nachschreiben können, daß man darinnen keinen Unterscheid finden kan, die Siegel auch mißbraucht, oder gar nachgemacht werden können: So soll bey unsern Ober-Appellations-Gerichte hierunter alle Behutsamkeit gebraucht, und wo immer ander Beweiß zu haben, hierzu nicht geschritten werden.

Consentiunt, praeter alios Doctores, GLOSSA *in Authent. Ad haec C. de fide instrum.* BRVNNEMAN *ad L. 20 C. eod. & in proc. ciu. c. 9. n. 19.* BOCERVS *Class. 6. disp. 24. th. 42.* KLOCKIVS *Vol. 2. Cons. 44. n. 72.* Exemplum ejusmodi falsitatis perfectae habuimus Gottingae in judicio criminali anno 1730, quum miles veteranus Johann Wilhelm S. viginti hujus perfidiae & malitiae documenta ediderat, da er nemlich unterschiedliche Briefe und Attestata auf falsche Nahmen ertheilet, eines gewissen Obersten Hand vor dem Fenster solcher gestalt nachgemahlet, daß derselbe solche Unterschrifft von seiner eigenen Hand nicht unterscheiden können, auch dieser Falsarius darauf 106 Thaler Pension von der Königl. Krieges-Cantzeley in einigen Jahren gezogen. Inter alia quaerebatur ex hoc falsario: Wie denn die ihm vorgelegte Briefe und Attestata, da die Schreibart von einander gantz unterschieden, seine des

Inqui-

Inquisiten Hand seyn könte? & respondebat: Er könne viele Hände schreiben, weilen er im Schreiben verschiedene Praeceptores gehabt. Condemnabatur quidem hic impostor ad operas publicas, sed, vti dictum, luculentissimum edidit exemplum, quod literarum comparatio sit periculi plena, remediumque hoc haud temere admittendum.

Est vero literarum comparatio, *remedium subsidiarium, quo duae pluresue scripturae coram judice per artis peritos, juramento obstrictos, inter se conferuntur, ea fini vt scriptura dubia quaestionis vel confirmetur vel reprobetur.*

§. II.

Neque nostrae definitioni obstat, quod *in Ordin. Cancell. Calenb. tit. 22. §. 5.* habeatur: Da auch jemand gegen producirte briefliche Uhrkunden, daß ihm die darunter befindliche Hand und Siegel nicht bekandt, einwenden, und solches jurato erhalten würde, ist solches für eine eydliche Diffession zu achten. In welchem Fall jedoch dem Producenten frey stehet, ob er an statt, oder auch nach beschehener eydlichen Diffession, per comparationem literarum, aut recognitionem testium die Uhrkunden behaupten wolle. Siquidem priori casu jurata diffessio tantum pertinet ad processum executiuum, probatio autem per testes, vel literarum comparatio spectat ad ordinarium processum, adeoque, salua nostra hypothesi, quod nem-

pe ſcripturae comparatio in proceſſu ordinario ſit remedium ſubſidiarium, integrum eſſe debet actori, vtrum proceſſu executiuo an ordinario vti velit. Poſteriori autem caſu talia eſſe debent praedicata, qualia permittuntur a ſuis ſubjectis, vel, vt clarius loquar, citata ordinationis verba non relinquunt arbitrio actoris, vtrum in proceſſu ordinario probatione per teſtes, an comparatione literarum, vti velit pro lubitu, ſed, interpretatione doctrinali adhibita, ita ſaltem explicanda eſſe videntur, vt actor in ſubſidium comparationem eligere poſſit, ſi probatio per teſtes haberi nequit. Immo ipſa *Ordinatio Trib. Cell. c. l.* omnem componit litem, diſerte conſtituens, compationem literarum tantum eſſe remedium extraordinarium, & locum prius non habere, quam docuerit actor, per teſtes probationem fieri non poſſe.

Quae quum ita ſint, facile dixerim, Ordinationem Tribunalis Cellenſis, tanquam legem poſteriorem, in hoc paſſu declarare verba ordinationis Cancell. Calenb. dubia, vel, ſi verba adducta ſatis perſpicua cuiquam videantur, huic ordinationi omnino derogare, quia literarum comparatio fallax & extraordinarium eſt remedium, ad quod recurſus non patet, ſi alia via ad metam propoſitam venire liceat.

§. III.

Sed objicis forſan: haec diſpoſitio tantum ad Illuſtriſſimum, quod Cellae floret, Dicaſterium

sterium spectat, & Ordinatio Cancell. Calenb. in subsidium inferioribus judiciis etiam est praescripta, & absurdum sane foret, si judices inferiores, rejecta Ordinatione Cancell. Calenb., secundum Ordinationem Trib. Cellensis judicia instituere vellent. Dicam quod res est. Ea quae in Ordin. Trib. Cell. circa judicii formam & processus appellatorios ejusque formalia sunt disposita, priuatiue spectant ad Summum Appellationis Dicasterium, quippe quae absque nota imprudentiae ad alia fora minoris ordinis trahi nequeunt; sin vero jus correctorium, vel dubium in hac summa ordinatione explicatum legimus, sane haec omnia & aliis judiciis praescripta esse facile perspicimus. Ponamus enim quod actor juratam diffessionem respuere, processumque executiuum deferere, & loco ejus comparatione literarum vti velit, prouocans ad verba citatæ Ordinationis Cancellariæ Calenbergensis: Ob er an statt, oder auch nach beschehener eydlichen diffession per comparationem literarum *aut* recognitionem testium, die Uhrkunden behaupten wolle ꝛc. simulque contendens sibi electionem in his vltimis verbis esse relictam; reus vero, interponens appellationis remedium, rem omnem deferat ad Summum Appellationum Tribunal, facile patet, supremos hujus Dicasterii judices, vti mediante decr. die 5. Apr. 1742. contigit in caussa Kipp contra Kipp, pronunciaturos esse: wird die von jenem am 8ten Dec. vorigen Jahrs einge-

eingebrachte Exhibitio &c. dem Appellaten copeylich communicirt, und nachdem laut Vorschrifft der Ober-Appellations-Gerichts-Ordnung P. 2. Tit. 8. Sect. 2. §. 7. der Beweiß per comparationem literarum allererst alsdenn statt hat, wenn der Producent darüber, daß die unter dem diffitirten Documento befindliche Hand richtig sey, keine Zeugen, Alters halber, oder weil diejenigen, denen die producirte Hand bekannt, schon verstorben, haben könte, ein solcher Fall aber, bey vorkommenen Umständen, allhier nicht zu befinden: als werden Appellantes mit sothaner jetzt intendirenden probatione per comparationem literarum ab- und Inhalts vorangezogener Verordnung ihren Beweiß der Richtigkeit des quaestionirten Instrumenti per Testes zuführen, und desfals in proxima ihre Beweiß-Articul einzubringen angewiesen. ꝛc.

Luculenter itaque adparet Ordinationem Tribunalis Cellensis in hoc & simili casu etiam judiciis inferioribus esse praescriptam, si emendationem suarum sententiarum auertere velint. Quid multa! Ordinatio Cancellariae Calenbergensis quasi per transennam de comparatione literarum disponit, cujus verba nimis coarctata merito ex Ordinatione Tribunalis Cellensis in luculentam consonantiam erigi, & secundum rei naturam, remediique subsidiarii & admodum fallacis indolem explicari debent.

§. IV.

§. IV.

Sed nouus exoriri posset scrupulus, si Ordinationis Tribunalis Cellensis, quæ habentur *P. II. tit. 8.§. 5*, verba inspiciamus: Solte nun derjenige, wieder welchen solche Documenta eingebracht werden, zu Abschwerung dieses Eydes parat seyn; und producent wolte lieber so fort durch Zeugen die Unterschrifft und Siegel erweisen, als die eydliche diffession geschehen lassen, soll ihm solches unbenommen seyn; siquidem in his verbis tantum *testium* fit mentio, neque de literarum comparatione aliquid legitur, quum tamen §phus *7.cit. ordinationis*, qui de eo casu, quo jam facta est jurata diffessio, loquitur, vtrumque remedium, tam testium productionem, quam literarum comparationem suo ordine admittit; vnde prono alueo flui videtur, quod juxta Ordinationem Tribunalis Cellensis *ante diffessionis juramenti praestationem tantum testium productio*, excluso comparationis remedio subsidiario, *post diffessionem juratam* vero vtrumque remedium, suo tamen ordine, habeat locum.

Verum enim vero haec magis videntur, quam sunt, si modo bonae interpretationis fundamenta, nec non rationes adaequatas, quae hic occurrunt, debite inspiciamus. Nam 1) *Ordinatio Trib. Cell. c. l.* §. 7. ideo admittit processum ordinarium, ne creditor in processu executiuo omne periculum in debitoris conscientiam, non raro callo obductam, solummodo

modo ponere cogatur, sed & alio modo veritas vel per testes, vel per comparationem literarum, in apricum protrahi possit, quae ratio sat satis nos edocet, comparationem elementorum, si testes deficiunt, ante diffessionem juratam quoque esse licitam. Praeterea 2) si comparationem literarum post, non ante juramentum diffessionis, admittere velimus, prono alueo inde sequeretur, legislatorem absolute velle vt perjurium antea commmittendum sit, quae praesumtio in bonum Principem nequidem cadit. Accedit 3) quod hoc remedium, licet admodum periculosum dicatur, magis habeat locum ante juratam diffessionem, quam post juramentum diffessionis praestitum, quippe quo vltimo casu non solum veritatis, sed & commissi perjurii argumentum esse debet, quum priori casu tantum indagandae veritatis caussa admittatur, ad perjurii probationem autem grauiora, quam ad veritatem rei corroborandam, requirantur argumenta.

Porro 4) suffragatur nostrae sententiae ipsa *Ordinat. Trib. Cell. c. l. §. 7.* in verbis: sondern es stehet dem Producenten auch alsdann frey, daß die Hand und Siegel richtig sey, oder - per comparationem literarum zu erweisen. Nam particula auch aperte indicat, haec verba, quae de comparatione literarum, diffessione jurata jam peracta, loquuntur, se referre ad §phum quintum antecedentem, & sequentem in modum ideo explicanda esse: Gleichwie im 5ten

§pho

§pho ante juratam diffessionem dem Producenten erlaubet ist die Unterschrifft und Siegel per testes, oder wo solches nicht geschehen kan, per comparationem literarum zu erweisen, so soll auch alsdann, wenn die jurata diffessio bereits geschehen, solches dem Producenten erlaubet seyn.

Neque 5) nos mouet, quod §. quintus citatus de comparatione literarum nihil dixerit, sed ibi haec verba: und Producent wolte lieber so fort durch Zeugen ꝛc. de testibus tantum loquentia inueniantur, sufficit enim *quod vnius positio non sit alterius exclusio*; quæ regula ex allatis argumentis eo mojorem vim in hoc casu assequi videtur, quo magis 6) veritati consentaneum est, quod Ordinatio Trib. Cell. longe clarius in §. quinto cit. fuisset loquuta, si Ordinationi Cancellariae Calenbergensis, quae comparationem literarum *tit.* 22. §. 5. etiam ante juratam diffessionem admittit, correctorias manus adhibere voluisset,

Accedit denique 7) indubitata praxis; admisit enim, ante diffessionis juramentum, literarum comparationem illustre, quod Hannouerae floret, judicium aulicum, in caussa Knop contra Knop, die tertio Martii 1738. desuper lata hac sententia: Würden Appellantes zuforderst eydlich erhärten, gestalten sie den Schein vom 23. Novembr. 1731 samt dem darunter befindlichen Bekäntniß von 20. Febr. 1732 ohne Argelist und Gefährde, bloß zur Nothdurfft, weilen sie die

Bezah-

Bezahlung der Kauffgelder auf keine andere Art und Weise zu dociren vermöchten, producirt, auch den Beweiß, daß der Appellate solche Scheine von sich gestellet und unterschrieben, anderer gestalt, als per comparationem literarum herbey zu bringen nicht wüsten; allermassen dazu terminus auf den Montag nach Palmarum, wird seyn der 31ste jetztlauffenden Monaths Martii hiemit anberaumet, daß alsdann von zweyen hiezu specialiter beeydigten Schreibmeistern, zwischen denen quaestionirten Quitungen, und denenjenigen Scheinen, welche in termino von 14. Martii a. p. von dem Appellaten für seine Hand und Unterschrifft agnosciret worden, die verlangte comparatio angestellet werden, und darauf, dem Befinden nach, ferner ergehen solle was recht ist.

§. V.

Quum comparatio literarum sit remedium admodum fallax & periculi plenum, recte inde concluditur, judicem circa hanc rem circumspectum esse debere, quippe cujus arbitrio multum in hoc negotio relictum est. RVTG: RVLAND *de Commiss. p. 2. l. 5 c. 37.* MASCARDVS *de probat. vol. 2. concl. 330.* Dispositum hanc ob caussam legimus in *Ord. Trib. Cell. c. 1. §. 7.* Weil es aber mit dieser comparatione literarum an sich eine gar gefährliche Sache ist ꝛc. So soll bey unserm Ober-Appellations-Gerichte hierunter alle Behutsamkeit gebraucht, ꝛc. bey

Abfas-

Abfassung der Urthel aber auf alle bey der Sache sich desfalls findende Umstände, und, ob aus allen ein völliger Beweiß zu schliessen, genaue Obsicht getragen werden.

Hinc negat FELINVS *in c. 2. in fin. de fide instrum.* & BALDVS *in Auth. sed nouo jure C. si cert. pet. vers. dubitatur vtrum judex &c.* iudicem commissario posse committere comparationis examinationem, quorum posterior & hanc interserit caussam, quod visus hac in re requiratur, & ipse iudex literarum ductus diligenter inspicere debeat. Subscribit quoque huic sententiae SALICETVS *ad L. 20. C. de fide instrum.* addita tamen hac limitatione: vt tantum iudex, regularum artis scriptoriae impetus, alteri comparationis disquisitionem committere possit.

Sed abeant hae ficulneae rationes cum distinctionis inutili apparatu, sufficit enim, quod, omnes eiusmodi actus delegato cuidam comitti posse, indubitata praxis doceat, prout de Camera Imperii testatur RVLAND *de Commiss. P. 2. l. 5. c. 38.* & in nostris legibus prouincialibus nullibi prohibitum, quin potius in *Ordin. Trib. Cell. c. l.* §. 7. permissum sit, ita tamen: 1) vt Commissarius quoque scripturas inter se conferendas adcurate perpendat; 2) cum peritis in arte, ad hunc actum adhibitis, notatu digna examinet; & 3) desuper ad iudicium delegans referat. En ipsissima huius ordinationis verba: zwey oder drey des Wercks verständige Schreib-

meister . . sollen alle Buchstaben und ductus derselben gar genau betrachten, untersuchen, und endlich ihr Iudicium davon gedachtem Commissario geben, dieser auch selbst die Unterschrifft wohl betrachten, und im Fall bey derer peritorum iudicio etwas bedenckliches vorfiele, mit denenselben daraus conferiren, darauf auch sein Iudicium mit einschicken. Interim ejusmodi delegatum judicem, quippe cujus industria & fides electa est, alium substituere non posse, expediti juris est.

§. VI.

Ad indagandam literarum comparationem praeterea requiruntur duae scripturae, α) *ad quam*, β) *ex qua*, vti Doctores loquuntur. Illa continet instrumentum de quo inter partes litigantes disputatur; haec scriptura est, quae iudici offertur, vt inde desumatur literarum similitudo. Scripturam *ad quam* quod attinet, olim indistincte quodlibet instrumentum comparationem literarum admisisse, omnes fere contendunt Doctores, si modo exceperis DONELLVM, qui ad *Auth. At si contractus C. de fid. instrum.* duo tantum scripturarum genera, literarum comparationem olim admittentia, enarrat, 1) si scriptura confecta de re, auri libram non excedente, propter *Nou. 73. c. 8.* 2) si scriptura quaecunque ruri sit composita, per *Nou. 7. c. 7. & 9.* Verum re penitus, ni fallor, inspecta, Donellus ejusmodi casus in scenam protrahit

trahit, in quibus comparatio literarum olim plenam produxit probationem, quum in reliquis scripturarum generibus comparationi tanta fides non fuerit. Apud nos hanc quaestionem prorsus inanem esse, facile largior, posteaquam in *Ord. Trib. Cell. c. l. §. 7.* generaliter de *Documentis*, absque vlla limitatione, sit sermo.

§. VII.

Scriptura *ex qua* ante omnia debet esse certa, ne incertum ex incerto probare cupientes, moriae laudem assequamur.

Tria scripturarum genera, ex quibus comparatio certo certius institui potest, suppeditat iuris romani compages.

1) Huc pertinet scriptura, quam reus tanquam suum αυτογραφον agnoscit, id quod contingere potest, si forsan manum suam, ad exceptiones suas probandas, produxerit, de quo casu scite ait *Nou. 49. c. 2. Cui enim ipse credidit, & quod protulit is, contra quem & ex quo affirmat suas allegationes, hoc non accuset, neque ipse resistet sibi, & quae affirmauit, haec accusabit.* Clarius hac de re loquitur *Authentica. Ad haec C. de fide instrum: Ad haec, ex his literis, quibus aduersarius tuus vtitur, & profert, recte petis examinationem fieri.* Et haec Nouella corrigere videtur *Legem 20. C. de fide instrum.* in verbis: *& tunc ex hujusmodi chartula iam probata* (i. e. trium testium subscriptione munita) *comparatio fiat: aliter enim fieri*

comparationem nullo concedimus modo, licet in semetipsum aliquis chartam conscriptam proferat.

2) Huc refertur scriptura ex publico archiuo producta, *Nou.* 49 *c.* 2. § 2. quae omnem falsitatis suspicionem superare dicitur. Quorsum etiam pertinet scriptum coram Notario & testibus confectum.

3) Hisce duobus adnumeratur scriptura priuata, trium testium subscriptione munita; requiritur tamen vt hi tres testes, vel ad minimum duo, quia in ore duorum omnis stet veritas, manum suam recognoscant. *L.* 20. *C. de fid. instrum.* ibique per verba: *vel ex ipsis hoc deponentibus.* Idem dispositum est in *Ordin. Tribun. Cell. c. l.* Auf den letzten Fall, da nemlich zur comparatione literarum zu schreiten, soll zuforderst ausfündig seyn, daß diejenige Schrifft, wornach die Comparatio geschehen soll, ohnzweifentlich diejenige sey, von dessen Hand gefraget wird, entweder weil es Gegentheil geständig, oder daß solche Schrifft in publico Archiuo gefunden, oder auch von andern, die es eydlich bezeugen, mit unterschrieben worden. Ultimum scripturae genus apud nos nominatim non requirit tres testes, sed generaliter dicitur: von andern, quae verba duos etiam testes subscriptos admittere videntur: immo verba die es eydlich bestärcken, procul omni dubio ex Glossa originem trahunt, quippe quae *Legis* 20. *cit.* verba: *vel ex ipsis*

ipsis hoc deponentibus, explicat: *vel ex ipsis hoc jurato recognoscentibus.* Caeterum de his omnibus scripturarum generibus, ex quibus instituenda est literarum collatio, falsè monet STRYKIVS *in diss. de probatione minus plena* c. 4. §. 10. optimum esse consilium, vt iudex ejusmodi scripturam eligat, quae eo tempore, quo scriptura comparanda, scripta est, quum scribendi ratio quam saepissime mutetur, & aliter in iuuentute scribatur, aliter vero robusti, & iterum alio modo in senectute trementes literas pingere soleant.

§. VIII.

Quod de testium subscriptione iam diximus, id, ipso iure romano, & Ordinatione Trib. Cell. subscribente, priuatiue ad scripturam *ex qua*, wornach die Comparation geschehen soll, pertinere certum est; miror itaque Doctores antiquos, qui easdem solemnitates, quasi ex compacto vt olearii solent, etiam in scriptura *ad quam*, welcherhalben die Comparation soll angestellet werden, absciisse requirant, & huic sententiae, tanquam communi, subscribant BARTOLVS, BALDVS, PAVLVS DE CASTRO, ROLANDVS A VALLE, & qui sunt reliqui. Nam vel primo intuitu adparet, legem 20. *cit.* aperte loqui de scriptura *ex qua*; imo si testes adsunt, qui iure iurando confirmant, documentum quaestionis a reo negante manu exaratum, vel saltem subscriptione propria esse corrobo-

ratum, quid quaeso, recte ait CARPZOVIVS *l. 3. Resp. 84. n. 8.* & BRVNNEMAN *ad L. 20. cit.*, opus esset comparatione literarum? quid multa! apud nos, si testes adsunt, nequidem comparationi literarum, tamquam remedio plane subsidiario, locus esse potest. (§. 1.) Abeat igitur otiosa haec Doctorum contentio. Quid vero si scriptura *ex qua*, testium subscriptione munita, quidem adsit, testes vero, quia vel morte correpti sunt, vel latitant, manum suam recognoscere, vel secundum Ord. Trib. Cell. religionis sacramento firmare non possint; an hoc casu testium subscriptio per aliam comparationem certior reddi poterit? Adfirmare hoc non erubescit SALICETVS *ad L. 20 C. de fide instrum. n. 4.*, a qua sententia non multum quoque abhorrere videntur RITTERSHVSIVS *ad Nou. part. 9. c. 25, n. 1.* VMMIVS *disp. ad proces. 17. th. 6. n. 27.* & MATTH. *de* AFFLICTIS *decis. 181. n. 6.* Sed haec opinio nequidem digna est quae refutetur, siquidem, contra modum in legibus adcurate praescriptum aliquid admittere, JCtum non decet. Ne dicam quod hac ratione magis incertitudo promoueatur, quam euitetur.

§. IX.

Tandem obserua, quod, si ex tribus scripturarum generibus, quae iamiam enumerata sunt, nullum genus in promptu sit, scripturam suam negans compelli possit a iudice ad scribendum, vt

vt inde comparatio fiat. Licet enim BARTOLVS *in L. 20. C. de fide instrum.* hunc morem propterea damnauerit, quod leges scripturas certas *ex qua* nominatim dederint, secundum quas comparatio, exclusis omnibus aliis literarum generibus, institui debeat & possit; attamen cum MENOCHIO *A. J. Q. c. 114. n. 29.* & TVSCHIO *concl. 483. n. 4.* dicendum esse reor, eiusmodi scripturam, quae coram tribunali praecipiente exaratur iudice, omnino iudicialem esse, eamque *L. 20. cit.* sub generali appellatione *forensium chartarum* comprehendi. Accedit & haec ratio, quod scribere in iudicio iussus, praesertim si arte scriptoria exacte non pollet, literarum figuras non facile mutare queat, sed & saepissime eadem vitia, quae habentur in scriptura quaestionis, obseruet, adeoque literarum comparationi multum ponderis addat. In nostris foris, per *Ordinationem Trib. Cell. P. II. tit. 8. §. 7.* verbis: oder daß derjenige, von dessen Hand die Frage ist, nochmahls im Gerichte seine Hand von sich stelle, omnis lis est composita, praesertim quum haec dispositio, ob ea, quae §. III. supra sunt dicta, inferiores etiam teneat iudices.

§. X.

Iisdem fundamentis, iamiam a nobis enarratis, innititur sententia, quae in casu, vbi actor recognitionem a coeco faciendam, desiderabat, fuit lata, quamque KISLINGIVS *in dissert.*

de eo quod justum est circa coecos allegat: daß Bekl. gestalten Sachen nach mit der Recognition zu verschonen, er ist aber dennoch seinen Nahmen zu schreiben anzuhalten, und mit diesem, so wohl der Unterschrifft der producirten obligation eine comparatio literarum anzustellen ꝛc. qua comparatione instituta, coecus ad solutionem condemnatus, &, non obstante leuteratione, sententia confirmata traditur. Intelligenda haec sunt de eiusmodi coeco, qui superueniente morbo luminibus orbatus fuit; si enim constat aliquem a natiuitate, vel antequam literas formare edoctus fuit, caruisse visu, facile hic absolutoriam exspectabit sententiam.

§. XI.

Ne vero comparationem petens hoc remedio subsidiario, neglectis testibus, calumnioſe vtatur, omnino de calumnia iurare debet; cuius iuramenti formula in *Nou. 73. c. 7. §. 3.* hisce verbis est praescripta: *quia non aliam idoneam habens fidem ad collationem instrumentorum venit: nec quicquam circa eam egit aut machinatus est, quod possit forte veritatem abscondere.* In nostris terris hoc iuramentum calumniae, licet MEVIVS *p. 6. D. 278.* & TRENTACINQVIVS *Var. Resol. 7. de fide instr. n. 1.* istud sine vlla distinctione exigant, absolute non desideratur propter verba *Ordin. Trib. Cell. c. l. §. 7*: und dieses auf unsers Gerichts-begehren mit einem cörperlichen Eyde bestärcken könte, quae dispo-

dispositio satis indicat, impositionem huius iurisiurandi ex circumspecto iudicis arbitrio, cui multum in hoc argumento relictum est, omnino pendere.

Praeterea artis scriptoriae periti, quorum ope iudex in comparatione literarum instituenda vtitur, iureiurando obstringendi sunt, cuius formulam exhibet *L. 20. C. de fide instrum.* scilicet, *quod neque lucri caussa, neque inimicitiis, neque gratia tenti, hujusmodi faciunt comparationem.*

§. XII.

Quia vero literarum periti facile ob impostorum malitiam, & diuersorum hominum literas, saepius inter se conuenientes, falli possunt, facile patet, eiusmodi literarum examinatores non de veritate, sed tantum de credulitate iurare, simulque promittere, se characterum signa diligenter examinare velle. Idem dispositum est in *Ordin. Trib. Cell. c. l.* §. 7. dann ferner ist solche Comparatio durch 2. oder 3. des Wercks verständige Schreibmeister, welche zu diesem Actu, in der Partheyen oder deren Procuratoren Gegenwart beeydiget werden sollen, vorzunehmen, die denn, und zwar jeder absonderlich, alle Buchstaben und Ductus derselben gar genau betrachten, untersuchen und endlich ihr Iudicium davon gedachten Commissario geben sollen. Acriter de numero peritorum disceptant Doctores. Nonnulli aiunt, in causa

ardua plures requiri, in causa vero parui momenti vnum sufficere. Alii distinguunt, vtrum in loco, vbi comparatio instituenda est, plures adsint periti, an vnus tantum reperiatur. Denique alii contendunt, vnicum, si modo publico salario alatur, semper sufficere. Conf. RVLAND *de Commiss. p. 1. l. 4. c. 5. n. 5.* Sed missis inutilibus hisce distinctionibus, prouocare liceat ad *L. 20. C. do fide instrum.* in qua numerus pluralis occurrit, qui semper duobus est contentus; ne dicam, quod hi periti aequiparentur testibus, de credulitate deponentibus, in casu indefinito autem duo sufficiant testes, per *L. 12. ff. de testib.* ibique Doctores. Et quid tanta circuitione opus est? ipsa *Ordinatio Trib. Cell. c. l.* omnem dirimit litem, sanciendo, duos vel tres sufficere. Praeterea ibidem satis prudenter dispositum est, ne artis periti *turmatim*, vt dicere solemus, sed *sigillatim* de conuenientia, vel discrepantia suum aperiant iudicium; en verba optimae legis: und zwar jeder absonderlich, alle Buchstaben und Ductus derselben gar genau betrachten, untersuchen, und endlich ihr Iudicium davon gedachten Commissario geben solle. Quid vero si alter peritorum negat literarum conuenientiam, alter vero affirmat? Nihil periculi inde habebit iudex, sed tertius erit adhibendus, qui vel priori vel posteriori subscribendo rem totam componet: quale quid ante aliquot annos obueniisse in causa Knop contra Knop publica acta, coram iudicio aulico ventilata, satis euincunt.

§. XIII.

§. XIII.

Effectus huius comparationis consistit in absconditae veritatis iuridicae probatione. Vtrum vero probationem semiplenam, vel omnibus numeris absolutam producat, de eo JCti non conueniunt. COLERVS *Proc. Execut. P. 3. c. 1. n. 145.* TVSCHIVS *Concl. 484.* VMMIVS *ad Proc. iudic. Disp. 17. n. 26.* & qui sunt reliqui, plenam comparationi inesse probationem asserunt. Alii vero cum DREHERO *in Diss. de comparat. liter.* acriter contendunt, huic remedio subsidiario plenam fidem haud tribui posse, nisi alia adsint adminicula, prouocantes inprimis ad *Nou 73. c. 1. & 2.*

§. XIV.

Exsistimat quidem DREHERVS *l. c. §. 25.* iure codicis, propter *l. 20. C. de fide instrum.* comparationem literarum plenam olim habuisse fidem, & denique per *Nou. 73*, siquidem in *Nouella* 49. nihil de effectu huius remedii habetur, ita hoc immutatum fuisse, vt tantum produxerit semiplenam fidem, adminiculis aliis deficientibus. At sibimetipsi imponit Dreherus, siquidem *L. 20. cit.* nihil de scriptura *ad quam*, neque de efficientia comparationis in vniuersum cauet, sed tantummodo requisita scripturae *ex qua* recenset.

§. XV.

Sed alius adhuc notandus est Dreheri error, quem §. 30. *c. l.* vigilando somnians pocul omni

omni dubio commisit. Hanc enim fouet opinionem, quod solis testibus, qui affirmant, scripturam quaestionis se praesentibus fuisse manu exaratam a reo negante, quoad plenam probationem non credatur, nisi comparatio literarum testium elogia confirmet. Fundat Dreherus hunc ridiculum errorem in verbis *Nou. 73. c. 2. fidem causſa ex vtroque percipiat*; quasi haec propositio ad literarum examinationem, & testium recognitionem, habeat relationem, id quod tamen neque antecedentia neque consequentia adducti capitis secundi, ne dicam sanum nomothetae sinciput, admittere potest.

§. XVI.

Difficillimae quidem explicationis esse videtur tota *Nouella* 73, propter diuersos casus qui in ea habentur, quique diuersas conclusiones, pro sua natura, exposcunt, adeo, vt teste STRYKIO *in caut. iurament. c. 3. posit. §. n. 190*, Petrus de Bella Pertica nimis acerbe dixerit: diabolum huius Nouellae esse auctorem. Sed non est quod timeamus. Multa inueniuntur in hac constitutione nouella, quae magis consilii sunt quam legis; quorsum imprimis *cap. primum* referri poterit. Alia denique spectant ad solum Romanorum statum, id quod de capito *7mo* dicendum erit, in quo legislator specialiter loquutus est de numeratoribus, i. e. argentariis romanis, & de documentis super mutuo cum hisce hominibus, praesente tabel-

tabellione, confectis, quaeque omnia nostris foris accommodari nequeunt. Inter alia in dicto *cap.* 7. §. 2. sequentia habentur verba: *Quod si Tabellio defunctus est, & testimonium perhibeatur suppletioni ex alia collatione: siquidem etiam sic habeat eum, qui conscripsit instrumentum viuentem, & adnumeratorem; aduenient & illi, siquidem praesentes sunt, & habeat ex collatione adimpletionem & ex testibus causſa fidem.* Dreherus si ad haec vltima verba prouocasset, saltem suae opinioni, primo intuitu, addidisset argumentum aliquod speciosum, licet non omni exceptione maius, siquidem hic §phus de eo casu disponit, si scribens & adnumerator de scripura *ex qua* testimonium perhibent, adeo vt haec ex testibus fidem, & probatio scripturae *ad quam* ex collatione literarum habeat adimpletionem. Verum enim vero, quum Dreherus ad caput secundum huius Nouellae 73. tanquam ad sacram anchoram confugerit, merito ipsum aperte spes sua fefellit. Consilium tantum in hoc capite secundo praebuit Iustinianus, qua ratione quodlibet instrumentum, absque Notario, confici possit, simulque in calce addit, quaenam probatio ex eiusmodi instrumento, priuatim confecto, nascatur. En ipsissima, addita quadam explicatione, legislatoris verba: *Sed & si quis aut mutui instrumentum, aut alterius cuiuspiam* v. g. locationis conductionis, emti venditi, permutationis, transactionis *faciat*

ciat documentum, *& noluerit hoc in publico* i. e. coram Notario *confiteri*, *quod & in depositio definiuimus*, *non ex ipso videatur credibile*, *quod scribitur super mutuo documentum*, i. e. negotium, quod ab vna parte dicitur gestum inter litigantes, ab altera vero parte negatur, non ex eo potest probari, quod actor in originali producat instrumentum, de cuius veritate adhuc disceptatur inter litigatores, *nisi etiam* instrumentum quaestionis *testium habeat praesentiam fide dignorum non minus trium*, quique vel sua subscriptione corroborauerint instrumentum, vel tantum tempore contractus adfuerint, viderintque, documentum quaestionis reuera a litigantibus fuisse confectum, & ab vtroque, aut saltem ab vno contrahentium, sua subscriptione esse munitum, ita enim duplici via intentionem suam probare poterit actor, nempe primo, *vt siue veniant* prioris generis testes, *& propriis subscriptionibus attestentur*, *siue* secundo, *alii quidam* i. e. secundi generis testes, *testificentur* veritatem documenti, *quia praesentibus eis confectum est documentum*, tunc enim *fidem caussa*, *ex vtroque*, siue prioris siue posterioris generis testes de veritate documenti deponant, *percipiat*; *etiam*, si forsan testes non omni exceptione sint maiores, vel de credulitate deponant, sie wüsten es sich eben nicht mehr zu entsinnen daß das ihnen vorgelegte Document eben dasjenige sey, so in ihrer Gegenwart gemacht worden, *literarum*

rum examinatione penitus non repulsa, sed sola, quia est remedium periculi plenum, *non sufficiente, augmento autem testium,* non omni exceptione maiorum, vel de credulitate deponentium, *confirmanda*, quippe quo casu testium dicta, omne punctum non ferentia, corroboranda sunt literarum comparatione, vt inde eueniat plena probatio, id quod ipsa negotii huius natura dictitare videtur, *quum fidem caussa ex testibus non percipiat*, quemadmodum alias fieri solet, si vel testes nudi, vel subscribentes, de veritate documenti deponunt. Genuinam hanc esse verborum legalium explicationem totus contextus docet, nisi sapientissimum legislatorem, Iustinianum Magnum, contradictionis vitio, in vna eademque lege, vel, vt rectius dicam, in proxime antecedentibus verbis: *fidem caussa ex vtroque percipiat &c.* commisso, satis imprudenter accusare velimus. Sed quid quaeso hac circuitione opus est, quum ipse Dreherus ex Drehero refelli poterit? hic enim in *diss. cit.* §. 14. ingenue fassus est, quod Carpzouius cum Brunemanno recte dixerit: comparatione literarum haud opus esse, si testium elogio probari possit, documento quaestionis a reo negante fuisse subscriptum. Interim non sine ratione paullo adcuratius explicari debuit haec nouella constitutio, quum infra huius ope singularem quaestionem simus composituri.

§. XVII.

§. XVII.

Sed e diuerticulo in viam vt redeamus, pluribus indaganda erit quaestio: quaenam probatio ex literarum comparatione hodie descendat. Vidimus iam supra (§. XIII.) Doctores magnopere dissentientes, quorum alii plenae, iterum alii semiplenae probationi calculum adiiciunt. Illorum nonnulli sententiam suam ita restringunt, vt tantum eo casu, si scriptura *ad quam* & *ex qua* in in elementorum ductu omnimodam habeat similitudinem, probatio plena ex literarum comparatione descendat; quodque etiam locum habere arroganter, ne dicam audacter, contendunt, si vel maxime testes in contrarias iuerint partes. MASCARDVS *de probat. Vol. I. concl. 330. n. 20. sqq.* Iterum alii cum LANFRANCO *in c. quoniam contra tit. de fide instrum. n. 58.* plenam comparationi dant fidem intuitu epistolae sigillum non habentis, quia, secundum FRANC. CVRTII sententiam, producens epistolam prouocare non possit ad testes, quum productus semper epistolam scribat in producentis absentia. Idem hoc procedere in libris mercatorum & rationum, opinatur BARTOLVS in *L. nuda ratio π. de donat.*, cuius rei rationem in eo quaerit LANFRANCVS *c. l. n. 57*, quod in conficiendis rationibus testes aduocare haud consueuimus; & tandem ALEXANDER *in Cons. 184. num. 6. vol. 6.* hisce addit instrumentum

tum publicum, literarum examinationi subiectum.

Verum enim vero auctoritati horum doctorum fidenter subscribere nunquam inducor possum; licet enim elementorum figurae, in scriptura *ad quam*, adcurate & per omnia respondeant scripturae, *ex qua* instituitur comparatio, attamen absoluta & perfecta veritas inde non datur, quum, ipso Justiniano, & quotidiana fere experientia teste, falsatores, ad imitationem literarum semetipsos satis exercentes, judicem maxime circumspectum, & artis scriptoriae peritissimum, fallere possint. Qua propter & hoc remedium admodum fallax, & dubitationis quam plenissimum, non sine ratione dicitur; quod praedicatum satis superque, nisi me omnia fallunt, indicat, solam comparationem, licet vel maxime litterarum ductus ad vnguem conspirent, plenam probationem producere haud posse.

Quod praeterea de epistola, absente producente scripta, & rationum libris adducitur, haud magni momenti est; quamuis enim testes non adfuerint, neque adesse soleant scribenti epistolam, attamen haec circumstantia non maiorem, quam per se habet, comparationi conciliat fidem, sed tantum eo facilius mouet iudicem, vt actorem ad hoc extraordinarium probationis admittat genus.

§. XVIII.

Idem dicendum esse de rationum & mercatorum libris, nemo vocabit in dubium; ne dicam quod in nostris terris mercator, in probando suo debito actiuo, nequidem prouocare possit ad comparationem literarum, intuitu libri mercatorii instituendam, quum in edicto sub dato *Hannouer die 21 Martii* 1721 hisce libris omnis ademta sit fides, adeoque elementorum examinatio frustraneum actum produceret, nisi lis exorta sit inter ipsos mercatores, de quibus edictum citatum ita disponit: daß es wegen deſſen, was die Kauff- und Handels-Leute unter sich selbsten gegen einander dießfals hergebracht, bey der bißherigen observantz sein ungeändertes Verbleiben haben solle Interim tamen si debitores subscriptione sua confessi sunt: daß sie vorspecificirte Waaren von dem Kauffmann erhalten, remedium comparationis literarum in subsidium adhibere poterit mercator.

§. XIX.

Tandem Alexandri exceptio, a publico instrumento desumta, haud meliorem exspectabit fortunam; quodsi enim aperte constat instrumentum productum habere publicam fidem, plane non video quid literarum examinatione opus sit; e contra si de publica fide dubitatur, eiusmodi instrumentum, literarum comparationi subiectum, maiorem probationis gradum sibi adscri-

adscribere ex eo nequit, quod publicum sit instrumentum, de hoc enim adhuc sub iudice lis est, quodque remedio admodum fallaci probare non poterit actor. Facile igitur patet huius remedii extraordinarii naturam in melius non mutari, licet vel maxime de veritate instrumenti publici disceptatur, quamdiu enim de publica fide non constat, a fide publica argumentari non possumus.

§. XX.

Interim, missis his omnibus, prouocare quis posset ad *Ordin. Tribunalis Cellensis* verba, quae *P. II. tit. VIII. §. 7. in fin.* habentur: So soll bey unserm Ober-Appellations-Gerichte = = bey Abfassung der Urthel auf alle bey der Sache sich desfalls findende Umstände, und, ob aus allen ein völliger Beweiß zu schliessen genaue Obsicht getragen werden. Verum enim vero haec dispositio non absolute comparationi literarum nudae in omnibus casibus plenam tribuit fidem, id quod proxime antecedentia verba: weil es aber mit dieser comparatione literarum an sich eine gar gefährliche Sache ist ꝛc. satis superque indicant, sed tantum iudici praescribit legem, vt omnes circumstantias, quae in ante actis forsan occurrunt, limato perpendat judicio, prudenterque iudicet, vtrum comparatio literarum inde auxilium quoddam adquirere possit, nec ne. Ponamus enim, si reus,

instrumentum negans, extraiudicialiter fassus est, se instrumentum scripsisse, & testis iuratus desuper auditus conuenientiam literarum cum scriptura *ex qua* elogio suo confirmat, sane comparationi literarum haec circumstantia magnum ponderis additura erit, immo, meo iudicio, omnem componet litem: weil aus allen diesen Umständen ein völliger Beweiß zu schliessen. Exempli loco hoc addendum erat qua ratione intelligenda sint citata *Ordin. Trib. Cell.* verba, & longum, immo impossibile foret, omnes, qui obuenire possunt, particulares enumerare casus, qui pro circumstantiarum ratione diuersam exposcunt in hoc argumento iudicis sententiam. Regulariter igitur literarum comparatio semiplenam efficit probationem, at circumstantiae si aliud suadent, v. g. si artis periti deponunt: Es schiene fast so als wenn die ihnen vorgelegte beyde Schrifften einerley Hand wären, weil in denen Zügen sich einige Gleichheit aber auch einige Ungleichheit befünde ꝛc. merito dicendum est, hoc probationis genus minorem habere probabilitatem; e contra si artis scriptoriae prudentes aiunt: Es wäre eine Hand der andern in allen Zügen ähnlich, und nicht zu zweiffeln daß sie beyde von einer Persohn geschrieben worden, & alia in actis deprehenduntur adminicula, quae huic testimonio accedunt, facili negotio pronunciabit iudex, plenam adesse probationem. Quid multa! arbitrium iudicis in hoc argu-

argumento vtramque facit paginam, vti omnes emunctioris nasus ICti vno ore fatentur.

§. XXI.

Diximus supra (§. I.) comparationem literarum remedium subsidiarium, &, si testes adsunt, admittendum non esse; quid vero si testes examinati, & ipsorum elogia iam publicata sunt, an & hoc casu locus comparationi relinquitur? Indistincte ad hanc quaestionem respondere non posse, extra omnem dubitationis aleam positum est, faciamus ergo periculum.

Aut enim testes in scenam producti instrumento quaestionis subscripsisse, aut tantum eo tempore adfuisse dicuntur, quo reus negans, iuxta intentionem actoris, instrumentum composuerit, vel id saltem manu sua corroborauerit.

Posteriori casu vel testes, omni exceptione maiores, intentionem actoris affirmant vel negant; si affirmant se vidisse quod reus documentum litigiosum scripserit, vel eidem saltem subscripserit, palmam eripiet actor reo neganti, neque opus est comparatione literarum: Sin vero testes negatiue deponunt, iterum aliqua subdiuisione vtamur, aut enim *indefinite* aiunt: es hätte Sempronius das ihnen vorgelegte Document in ihrer Gegenwart nicht unterschrieben, quo casu comparationi literarum, tanquam remedio subsidiario, ab ipsis legibus dato, adhuc locus esse

potest, quia testes non tam in negatiua propositione, quam in ignorantia se fundant, & idem est ac si dixissent: Sie wüsten es nicht; item: Sie könten sich dessen nicht mehr entsinnen; item: es hätte Bekl. zwar in ihrer Gegenwart etwas unterschrieben, sie wüsten aber nicht ob solches das ihnen vorgelegte Document wäre ꝛc. nam ab ignorantia haud recte ad falsitatem documenti concluditur; aut testes ita deponunt: Sie wären am 16ten vorigen Monaths, da die Handschrifft des Klägers Vorgeben nach solte volzogen seyn, mit Caio des Morgens früh nach Nordheim verreiset, und in denen vier Stunden, so sie sich daselbst aufgehalten, nicht gesehen, daß er die qu. Handschrifft unterschrieben, und wäre er kein Augenblick aus ihrer Gesellschafft gewesen, und wieder mit ihnen nach Hause gereiset, auch darauf zu Hause beständig bey ihnen geblieben ꝛc. & hoc vltimo casu absoluitur reus, neque actori integrum erit vulneratae causae in literarum comparatione incertum remedium quaerere, prout haec omnia in genuinis probationum fundamentis sunt recondita.

Porro si testes, qui instrumento subscripsisse dicuntur, manum suam agnoscunt, simulque affirmant reum sua scriptione corroborasse documentum, neque testium personis fundata opponi poterit exceptio, reus omnino caussa cadit, neque actor vlteriori probatione indiget, quidquid obloquantur DREHERVS (§. XV.) BARTOLVS & BALDVS apud MASCARDVM

de

de prob. Vol. I. concl. 330. n. 6. quippe qui falsa legum explicatione sunt correpti. (§. XV.) Sin vero testes adducti suam negant omnino subscriptionem, documentum ab actore productum summa falsitatis suspicione laborabit, licet ex eo absolute haud consequitur, vt reus instrumentum non confecerit, siquidem a falsa testium subscriptione non datur legitima consequentia ad negationem actus inter partes litigantes celebrati, quum multae huius falsitatis possunt esse causſae, quarum, vt vnicam tantum commemorem, haec esse potest, si debitor alibi locorum, quam vbi creditor degit, chirographum conficit, praesente quidem creditore & testibus adhibitis huic autographo subscribit, sed testes, quos creditor rogat, sub falso nomine adducit. Et hoc casu, si modo alii testes, qui de subscriptionis conuenientia testimonium perhibere possunt, non adsint, confugere potest actor ad literarum comparationem, tanquam ad remedium vltimo loco sibi relictum. Quid vero si testes non propter veritatem documenti, in praesentia testium confecti & subscripti, de quo argumento iam loquuti sumus, sed propter veritatem subscriptionis, ex literarum similitudine tantum diiudicandae, ob nemlich die Unterschrifft des Pomponii Hand sey, und sie selbige gar wohl kenten, ab actore producuntur? Haec habe: Hi testes vel *negant*, vel *affirmant*, vel *nesciunt*; priori casu comparationem non habere locum

facile dixerim, praesertim si reus iam antea manum suam iurato est diffessus; altero casu non opus est elementorum comparatione, quae tamen vltimo casu omnino, ceteris paribus, locum habebit.

§. XXII.

Prius vero quam huic opusculo coronidem imponam, specialis casus, qui in iudicio Gottingensi occurrit, adhuc discutiendus est. Religionis sacramento diffessus erat ciuis quidam chirographum in se productum. Actrix processu summario deuicta in auxilium vocabat processum ordinarium, porrigebat iudici sequentes articulos probatoriales:

Art. prob. 1.

Wahr und Zeuge wissend, daß producte N. N. die vorgelegte Handschrifft mit eigener Hand unterschrieben.

Art. prob. 2.

Wahr und Zeuge selbst mit eigenen Augen es angesehen, da producte seinen Nahmen N. N. unter die jetzo in examine vorgelegte Handschrifft geschrieben.

addebatque petitum, vt testis nominatus desuper, vt moris & stili, examinaretur, ipsaque ad comparationem literarum simul admitteretur, interserens caussam se vnicum testem, qui subscriptionis actui interfuisset, tantummodo adducere posse. Negata fuit a iudicio haec cumulatio; at pro obtinendo suo petito interpone-

ponebat actrix supplicationis remedium, & in grauaminum libello sequentia iudici offerebat argumenta:

1) Es reiche hieselbst die gewöhnliche Art zu beweisen nicht zu, da man nur einen Zeugen produciren könne, mithin sey 2) der modus subsidiarius per comparationem literarum allerdings cumulatiue zu admittiren; 3) stimme hiemit STRYK *in caut. iuram. P. 3. S. 3. c. 5. n. 188.* überein, welcher den Kläger zu diesem modo probandi subsidiario zulasse, wenn er omni medio *plene probandi* destituirt sey, welches auch 4) LEYSERVS *ad Dig. Spec. 277. med. 7.* propter *Auth. At si contractus C. de fide instrum.* in folgenden Worten:

> Comparationem literarum saltem in causis arduis decerni aliter, quam si adminiculum quoddam accedat, non debere,

mit guten Grunde behaupte; 5) so wäre dieser Casus in denen Landes-Gesetzen nicht decidirt, sondern es wäre in der Cal. Canzl. Ordn. *tit.* 22. §. 5. so wohl, als in der Ober-*Appellations*-Gerichts-Ordn. *P. 2. tit. 8. sect. 2.* §. 7. jedesmahl die Rede de testibus in plurali numero von vielen, oder doch wenigstens von zweyen Zeugen, mithin sey dieser gegenwärtige Fall, von welchen in denen Landes-Gesetzen nichts disponirt worden, nach denen gemeinen Rechten, und der gesunden Vernunfft, solcher gestalt zu erklären, daß bey Producirung eines einzigen Zeugens der modus probandi

bandi subsidiarius zugleich adhibiret werden könne, zumahl da anderer gestalt 6) der favor probationis dadurch würde unterbrochen werden, wenn der Beweißführer bey denominirung eines einzigen Zeugens auf solche Art gezwungen werden solte, einen halben Beweiß, ja öffters nicht einmahl semiplenam probationem zu führen, und dasjenige was er sonst noch zu Führung seines Beweises in Händen hätte, bey Seite zu setzen; und sey 7) die Cal. Cantzl. Ordn. c. l. diesem allen nicht entgegen, denn man hätte nothwendig eine particulam connectendi zwischen comparationem literarum und recognitionem testium daselbst setzen müssen, und solche particula in AVT oder ET bestehen können; man sähe aber offenbahr daß das AVT nur obenhin gesetzet worden, damit doch etwas ad complendum sensum da wäre, denn hätte der Legislator das Ius commune ändern wollen, so würde er solches deutlicher ausgedruckt, und die daselbst angeführten Worte folgender gestalt geheissen haben:

> Entweder *per comparationem literarum* oder *per recognitionem testium* allein; in betracht der Parthey nur einen von diesen *modis* zu erwählen, nicht aber beyde mit einander zu *cumuli*ren nachgelassen seyn soll.

Sed hoc non obstante a iudicio Gottingensi sequens ferebatur sententia:

> Demnach besage der Ober-Appellations-Gerichte

richts-Ordnung *P. 2. tit. 8. sect. 2. §. 7.* die Comparatio literarum alsdenn erst zugelassen, wenn producent darüber, daß die unter dem diffitirten Document befindliche Unterschrifft richtig sey, keine Zeugen, oder weil dieselben, denen solche Hand bekannt, bereits verstorben, haben könte, und dadurch nicht allein solche Zeugen, welche dem actui subscriptionis würcklich beygewohnet, sondern auch dergleichen Testes, welche die diffitirte Hand des Producti kennen, verstanden werden, Kläg. und Supplicantin aber mit nichts erwiesen daß dergleichen letztbenannte Zeugen, welche alters halber füglich vorhanden seyn können, bereits verstorben; als wird Kläg. und Supplicantin mit der cumulatiue intendirten probatione per comparationem literarum ab- und nach Anleitung vorgedachter Ober-Appellations-Gerichts-Ordnung angewiesen, binnen 3. Wochen a publicato dieses die Richtigkeit, des von Beklagt. und Supplicaten vorhin diffitirten Documents per testes zu erweisen, und desfals behörige Articulos probatoriales zu übergeben. Wie wir ꝛc.

Rationes.

Es ist nicht ohne allen Anschein, wenn Klägerin bey ihrer in formalibus richtig befundenen eingewandten Supplication, um des Willen die comparationem Literarum mit der probatione ordinaria cumulirt wissen will, weilen 1) nur ein einziger Zeuge, welcher bey der geschehenen Unterschrifft gegenwärtig gewesen, producirt werden könne

könne, dieser aber, wie ante acta klärlich besagen, bey Klägerin ihrem verstorbenen Ehemann Schreiber gewesen, einfolglich 2) bey so gestalten Sachen, wenn er auch die von Supplicantin übergebene Articulos probatoriales nach ihren gesamten Inhalt eydlich bestärcken würde, dadurch nichts anderst als eine probatio minus quam semiplena könte zum Stande gebracht werden,

domestica enim testimonia sicuti regulariter prohibentur,

L. pen. de testib.

L. 3. C. eod. ibique DD.

ita nec famuli, serui aut ancillae ad testificandum pro domino admittuntur

c. 24. X. de testibus

non habentes autem salarium, pro domino testes esse possunt,

FARINAC. *de testib. qu. 55. n. 138.*

CARPZ. *P. I. c 16. def. 54. n. 9.*

adeoque hoc casu, quum mortuo domino testis non amplius sit scriba, & salario destituatur, testimonium quidem perhibere potest, sed tanquam vnicus testis parum probat,

L. 9. C. de testib.

CARPZ. *lib. 3. R. 94. n. 1. sqq.*

mithin 3) in solchen Falle ad perfectionem probationis die comparatio literarum cumulative um

um destomehr zugelassen werden müsse, weilen die Intention des Gesetzgebers, nach Anleitung hiesiger Landes-Gesetze einen völligen Beweiß intendirt, und überhaupt diesen Casum nicht berührt, sondern aller Orten in numero plurali *de testibus* geredet worden, wobey noch fernerweit 4) gar wohl zu mercken ist, daß, wenn Suplicantin auch im Stande wäre, annoch solche Zeugen, welche der von Beklagten geschehen seyn sollenden Unterschrifft zwar nicht beygewohnt, aber doch zu dem Beweiß, daß die Subscriptio qu. des Beklagten Hand würcklich sey, zu produciren, jedennoch diese Testes allen Ansehen nach weiter nichts als de credulitate, gleich wie die periti artis bey einer anzustellenden comparatione literarum, deponiren können, wie solches alles

DREHERVS *in diss. de comparat. lit. §. 29.*

in folgenden Worten ausdruckt.

quando testes se non subscripserunt apochae, vel subscriptionis actui non interfuerunt, credunt tamen, hanc esse manum alicuius & sic ex notitia alicuius deponunt, eo casu illos comparationi nullum praebere adminiculum, ad hoc, vt plene probent, communis est sententia, quam etiam tenet

IMOL. *in c. 2. de fide instrum.*

MATTH. DE AFFLICT. *Dec. Neapol. 181.*

& est ratio quod haec testium depositio de credulitate, se fundet tantum in externa

scriptu-

scripturae forma, quam tamen maligni quidam homines ita imitari callent, vt eandem saepe manum esse iurares,

woraus dann von selbsten zu folgen scheinet, daß dergleichen Zeugen pari passu mit denen peritis, circa comparationem adhibendis, ambuliren, und daher in gegenwärtigen Falle der Supplicantin allerdings frey stehen müsse der künfftigen Aussage ihres einzigen Zeugens durch die Comparation zu adminiculiren.

Weilen aber jedennoch 1) Supplicantin mit nichts erwiesen daß nur ein einziger Zeuge dem Actui subscriptionis beygewohnt, welchen Erweiß jedennoch die

Ob. *App.* Ger. Ordn. *P.* 2. *tit.* 8. *sect.* 2. §. 7.

virtualiter erfordert, auch 2) wenn solches gleich dargethan werden könte, nichtsdestoweniger bißlang unerwiesen ist, daß solche Zeugen so die Hand des Beklagten kennen, bereits verstorben, als welche altershalber, weil die Unterschrifft qu. vor gar kurtzer Zeit soll vollenzogen seyn, gar wohl im Leben seyn können, und dann 3) der durch solche Zeugen anzustellende Beweiß als ein modus ordinarius billig zuvor cessiren muß, ehe der Kläger ad comparationem literarum, tanquam ad probationem subsidiariam, kan admittiret werden, welchen allen 4) des Dreheri c. l. angeführte Meynung nicht entgegen zu setzen ist, einestheils als dieselbe lediglich aus dem falschen principio hergeleitet worden, daß die Aussage der Zeugen:

Wie

Wie sie die Schrifft *qu.* kennen.

von eben solcher Krafft sey, und auf eben solchen Grunde als die Comparatio Literarum beruhe, da doch die Natur der Sache selbsten klärlich zu Tage legt, daß dergleichen Zeugen ex propria & naturali scientia die Schrifft qu. beurtheilen, einfolglich hierunter weit gewisser als die artis scriptoriae periti gehen, welche viel leichter, dann obbemerckte Testes, durch den Unterscheid der gebrauchten Federn und der Dinte verführet werden können, welches alles

RVTGER RVLAND *de Commiss. P. II. l. s. c. 38. n. 11.*

mit Beyfall der daselbst angeführten Rechts-Gelahrten, in folgenden Worten bestärcket:

> Commissario incumbit, vt si testes & periti allegentur, testes praeferat peritis: illi enim manus naturali ratione cognitas facilius discernent;

andern Theils aber, wenn schon dergleichen opiniones Doctorum der Decision gegenwärtiger Irrung nichts beytragen solten, jedennoch in der

Ob. *App.* Ger. Ordn. *c. l.*

nicht allein solche Zeugen, welche der Subscription des qu. documenti beygewohnt, sondern auch ausdrücklich in denen Worten:

> oder wo er solche (Zeugen) altershalben, oder weil diejenigen, denen die *producirte* Hand und

und Siegel bekannt, schon gestorben nicht haben könte,

solche Testes, welche aus der Erkäntniß der Schreibart des Beklagten Hand beurtheilen können, der comparationi literarum vorgezogen, und dabey die Kläger angewiesen werden, den Mängel solches zuführenden Beweises zu probiren, wann sie ad subsidiarium probandi modum zu gelangen die geringste Hoffnung haben wollen, und dann daraus zur Gnüge erhellet, daß des Dreheri Bewegungs-Grund, welcher von der Betrügerey der nachzumachenden Schrifften hergenommen ist, so wenig in hiesigen Landen, propter clara legis verba, als auch an und vor sich selbsten in gegenwärtigen casu zu attendiren, weilen dadurch nicht erwiesen wird, daß die Beurtheilung einer streitigen Unterschrifft, welche per testes geschiehet, von der comparatione literarum per artis peritos instituenda gar nicht differire, vielmehr, wie in kurtz vorhergehenden gezeiget worden, die Gründe, worauf die unterschiedliche Art dieses Beweises sich steiffet, an sich unterschieden bleiben; Fernerweit 5) was Supplicantin in ihren Grauaminibus von der in der Cal. Cantzley-Ordnung befindlichen Particula AVT beygebracht, offenbahr auf einer explicatione cauillatoria beruhet, mithin in keine Consideration kan gezogen werden, auch allenfals 6) wenn sothane in der Cal. Cantzeley-Ordnung tit. 22. §. 5. befindliche Worte einiger Erklärung bedürffen, solche vielmehr

mehr aus der Ober-Appellations-Gerichts-Ordnung c. l. und denen gemeinen Rechten, nach welchen die Comparatio Literarum als ein Remedium subsidiarium, deficientibus certe omnibus testibus, vel saltem testimoniis non sufficientibus, statt hat, als aus so schlüpffrigen von Supplicantin angebrachten Gründen, hergeleitet werden muß: So ist, wie im Urthel enthalten, gesprochen worden, U. S. A. V. R. W.

§. XXIII.

Ita, secundum legis dispositionem, merito subducendi sunt calculi, si nondum adparet omnis generis deficere testes, aliud autem dicendum esse reor, quando actor probauerit vnicum tantum adesse testem, qui manum subscribentis nosse dicitur, licet enim hic testis deposuerit, reum scripsisse literas quaestionis, vel hoc idem negauerit, attamen vtroque casu actor prouocare ad literarum collationem poterit, vt priori casu semiplena probatio inde perfectionem suam accipiat, posteriori casu autem actor, nunquam a remedio subsidiario, positis hisce circumstantiis, excluſus, consequi possit semiplenam probationem, quae iuramento suppletorio viam

omnino pandit. Prior sententia aperte fundata est in *Nou. 73. c. 2.* vbi IVSTINIANVS literarum examinationem, publicato testium rotulo, penitus non repellit, sed augmento testium, forsan non omni exceptione maiorum vel dubie deponentium, confirmandam esse duxit. Et hanc quoque sanctionem, ob identitatis rationem, (§. V) habere locum, si vnicus testis de veritate scripturae testimonium perhibuerit, nemo, cui sanum est sinciput in dubium vocabit. Sed quod ad posteriorem casum attinet, vbi scilicet testis productus negauit reum scripsisse literas controuersiae subiectas, quispiam obiicere mihi posset, reum hac ratione consequi magnum praesumtionis pondus, adeoque magis iuramentum purgatorium, quam literarum comparationem, habere locum. Verum enim vero si qualitatem huius testimonii, in probabilitate, non apodictica veritate consistentis, recte pensitaueris, simulque ea, quae supra (§. XXI.) sunt dicta ad hunc casum adplicaueris, facili negotio nostrae subscribes sententiae. Ne dicam quod fauor probationis maximus esse soleat, adeo vt tamdiu iuramento purgatorio non sit locus, quam diu speretur actoris vel plena vel minus plena probatio.

§. XXIV.

§. XXIV.

Porro & hoc obserues velim, quod comparatio literarum, tanquam probationis species, etiam admittat reprobationem a reo suscipiendam, vti STRYKIVS *in caut. iur.: P. 3. S 3. c. 5. n. 239.* affirmat, prouocans ad SCHWENDENDOERFFERVM *ad Fibig. p.* 742., ita tamen vt in eo reprobationis argumentum consistat: *productum Documentum veri originalis fidem non habere.*

Nostra quoque fora eiusmodi reprobationi nuntium plane non misisse, satis adparet ex *Ordin. Trib. Cell. c. l.* siquidem tantum eo casu, si sententia, super comparatione lata, vires rei iudicatae assequuta est, reprobatio reiicitur, vnde recte concludimus, sententiae, super comparatione publicatae, opponi posse remedium suspensiuum intra fatale decendium, & postea reum condemnatum super reprobatione audiendum esse. En ipsissima summi huius Tribunalis verba. Wenn aber nach einmahl vorgegangener Comparation Hand und Siegel richtig, und für dessen Hand, davon geredet wird, erkannt worden, und solche Erkenntniß Krafft Rechtens erreichet, soll dagegen kein Beweißthum weiter zugelassen, noch verstattet werden.

§. XXV.

Tandem *Ordinatio Trib. Cell.* de puniendo periurio, a reo antea commisso, valde est sollicita, haec verba *c. l. in fin* addens: auch gegen denjenigen, welcher die Unterschrifft und das Siegel eines Documenti Iurato diffitirt, so doch nachgehends, wie obstehet, für dessen Hand und Siegel erkannt sind, nach Befinden in puncto periurii procedirt, und derselbe mit gehöriger ernsten Straffe angesehen werden. Duo circa hanc laudatissimam sanctionem obseruanda sunt, 1) quod verba: für dessen Hand, aperte indicent, nullum, nisi qui *propriam* manum diffessus sit, periurii poenam exspectaturum esse, id quod sana imputationis principia absolute nos edocent; si quis enim patris vel aui sui vel cuiuscunque tertii manum, accedente diffessionis iuramento, abnegauit, hic sane non tenetur periurii poena, quamuis vel decem testes, qui actui subscriptionis interfuerunt, affirment, rei negantis patrem vel auum literas quaestionis pinxisse, cuius rei rationem in iuramento credulitatis & praesumtione ignorantiae latere facile perspicimus; 2) obserua quod nequidem propriam manum iurato diffessus semper, & sine vlla distinctione, actore per literarum compara-

parationem probante, inquisitioni subiiciatur, sed haec tantum eo casu inueniat locum, quo actor apodicticam veritatem per testes in lucem protraxit; puta si testes, saltem duo, omni exceptione maiores iurato affirmant, reum, se praesentibus, documentum quaestionis scripsisse. Quodsi vero actor, omnibus testibus destitutus, ad solam literarum examinationem confugit, & tandem ad iuramentum suppletorium admittitur, vel testes tantum affirmant: es wäre die ihnen vorgelegte Unterschrifft des Beklagten seine Hand, denn ob sie gleich, als er solches geschrieben, nicht zugegen gewesen, so wäre ihnen doch die Hand und Schreibart desselben so wohl bekannt, daß sie unter hunderten dieselbe aussuchen wolten &c. periurii poenam non habere locum existimo, quia in criminalibus maior, quam in ciuilibus, requiritur probatio, quorsum & respexisse *Ordinationis Trib Cel l. c.* verba: nach befinden in puncto periurii procedirt, und derselbe mit gehörger ernster Straffe angesehen werden, nullus dubito.

§ XXVI.

Sed hic subsistere liceat, ne, reliqua addendo, crambem bis coctam adposuisse videar,

quippe quae a BRVNNEMANNO *proceſſ. ciu. c. 19* MASCARDO *Vol. I. concl. 330.*, SAMVELE STRYKIO *Caut. iuram. P. 3. Sect. 3. c. 5. num.* 187 - 244. GEORGIO PAVLO DREHERO *in diſſ. de comparatione literarum* IOAN. LAVR. ZVBRODIO *in diſſ. de comp. liter.* aliisque Doctoribus, ad nauſeam vsque, ſunt expoſita. Hic velim ea tantum, beneuole lector benigne accipias, quae noſtrae ſunt regionis, & a reliquis ſcriptoribus plane omiſſa, vel non rite expoſita, partimque pro ratione noſtrarum virium emendata. Nihil itaque reliquum eſt, quam vt ad vos, generoſiſſimi, nobiliſſimi chariſſimique Dmm. Commilitones, me conuertam, futurosque labores, veſtri commodi gratia in me ſuſcipiendos, publice commemorem. Hora octaua Ill. viri, Iuſti Henningl Boehmeri, ICti magni nominis, elementa *iuris canonici*, addita praxi forenſi, ita interpretabor, vt potiora obſeruationum capita excipiant calamo Dmm. Auditores ſuauiſſimi, nihilque infructuoſum, vel quod ignoraſſe ſatius ſit a me auribus percipiant. Hora tertia pomeridiana B. Heineccii libellum, auro contra cariorem, ordine *Inſtitutionum* adornatum, ea, qua ſemper vſus ſum methodo, explicabo, nihilque mihi prius, nihil antiquius fore polliceor, quam vt fundamenta ciuilis pruden-

dentiae non in lubrico & instabili, sed in solida legum cognitione iaciam, ne tanta pandectarum, nouellarum constitutionum, patriarumque sanctionum moles vestram diligentiam ruina deformet. Quum vero nuda iurium quanta quanta sit cognitio, absque forensis iurgii scientia practica, vmbra sine corpore, aut, si mauis, corpus absque anima merito dicatur, nec iis, quibus incruenta haec bella cognoscere cordi est, vnquam deero, sed habebunt me ducem, vel, si magis placet, commilitonem coniunctissimum. Aperiam quotidie hanc militiae togatae palestram hora quarta pomeridiana, exiguo certantium numero destinatam. Tandem singulis Iouis diebus gratis commentabor in tractatum meum de computatione graduum, ante aliquot annos editum, cuius rei argumentum quo magis dubiis vexatum, eo magis scitu necessarium esse nemo facile negauerit. Me non fugit o flos eruditae iuuentutis! iucundissima morum optime compositorum corona! *το διὰ τί hic?* in mente vestra altissimas egisse radices. Placida testatur vitae ratio, vos ea mente huc accessisse vt parentum suspiriis, ne dicam lacrymosis votis, satisfaciendo, impensas haud exiguas, ad futurum reipublicae commodum spectantes, erogando, ab hoc sapientiae mercatu

catu aliquando iusti atque iniusti scientia, immo rerum diuinarum & humanarum notitia adeo onusti discedatis, vt digni habeamini qui respublicas & ciuitates consilio regatis, legibus decoretis, homines de vita, fama, & facultatibus periclitantes perorando, scribendo & iudicando tueamini. Hoc agite, hoc meditamini, carissimae animae, in his vestros conatus, vestram quietem, optimaque desideria reponite. Quod ad me attinet, nunquam me vobis defuturum esse sanctissime promitto; capite modo experimentum, commilitones suauissimi, intelligetis profecto, nisi me omnia fallunt, non esse futurum, vt vel vos impensi laboris, vel me temporis, in vestri commodum erogandi, vnquam in posterum poeniteat.

OPVSCVLVM
DE
NON EXSISTENTIA LEGVM DIVINARVM POSITIVARVM VNIVERSALIVM
QVO
ARGVMENTA ALIVNDE PETITA
NON SOLVM
RITE EXAMINAVIT
SED ET
NOVAS QVASDAM PROBATIONES
PRAESERTIM IN AVDITORVM
SVORVM VSVM
ADDIDIT
IOANNES ANDREAS HANNESEN
I. V. D.
ET VICE SYNDICVS REIPVBL. GOTTINGENS.

GOTTINGAE
STANNO HAGERIANO
CIↃ IↃ CCXLIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670/phys_0079
DFG

CONSPECTVS TOTIVS ARGVMENTI.

§. I. *Lex diuina positiua vniuersalis, quotuplex sit, a quibus defendatur, & quaenam eius criteria dicantur.* §. II. *Praeceptum de arbore vetita haud constituit legem diu. posit. vniuersalem, licet argumentum Thomasii non omni exceptione sit maius.* §. III. *Aliud depromitur argumentum ab intentione Dei desumtum.* §. IV. *Negatiuae sententiae non obstant loca S. S. ad Rom. V. 12. & 1. Cor. XV. 22.* §. V. *Vtrum fides in Christum sit lex diuina positiua vniuersalis.* §. VI. *De polygamia absurde sentit Theophilus Aletheus.* §. VII. *Polygamia absolute non est prohibita iure naturali.* §. VIII. *Matrimonii primaeua institutio non producit legem positiuam vniuersalem.* §. IX. *Non obstat locus Math. XIX. 4. 5.* §. X. *Neque efatum Apostoli Pauli 1. Cor. VII. 2.* §. XI. *Prouverbi sententia, ex Maleacho II. 15. desumta, litem non componit.* §. XII. & XIII. *Explicantur verba Maleaci.* §. XIV. *Nostra hypothesis duobus argumentis porro firmatur.* §. XV. *De diuortio agitur.* §. XVI-XXIII. *explicantur verba Math. XIX. 4-6. ex natura pactorum.* §. XXIV. *Agitur de prouerbio* Mann und Weib sind

ein Leib. §. XXV. *Explicantur verba: quod Deus coniunxit, homo ne separet.* §. XXVI. *Christus principia moralia & iuris naturalis, minime autem legem positivam vniuersalem, circa hoc argumentum, ob oculos habuit.* §. XXVII. *Conclusiones ex hactenus dictis deducuntur.* §. XXVIII. *Vtrum capitalis homicidii poena sit lex divina positiua vniuersalis, nec ne?* §. XXIX. *Formatur status controuersiae.* §. XXX. *Verba Genes. IX. 6. legem positiuam vniversalem in se non continent.* §. XXXI. *Neque vim imperandi habere possunt pro substrata materia.* §. XXXII. *Probatur hoc ex antecedentibus verbis.* §. XXXIII. *Nec non ex argumentis a Boehmero adductis.* §. XXXIV. *Item ex defectu Rerumpublicarum.* §. XXXV. *Porro argumentum desumitur a caede Sichemitarum.* §. XXXVI. *Diluitur dissentientium ratio, quod Deus in occultis iudiciis delicta adprobare videatur.* §. XXXVII. *Neque obstat, quod homo ad imaginem Dei sit creatus.* §. XXXVIII. *Henichii iudicium exponitur.* §. XXXIX. *Haud recte opponuntur verba, quae Exod. XXI. Leuit. XXIV. & Num. XXXV. habentur.* §. XL. *Explicantur verba Matth. XXVI. Apoc. XIII. & Genes. IX.* §. XLI. *Consideratur fratricidium ab Abschalomo com-*

commissum. §. XLVII. *Conclusio ex hactenus dictis.* §. XLVIII. *Responsum Hallense.* §. XLIX. *Praeceptum de non comedendo sanguine & suffocato, nec non carne cruda, legem positiuam vniuersalem haud esse ostenditur.* §. L. *Hoc praeceptum Christianos non obligat.* §. LI. *Id quod porro declaratur.* §. LII. *Explicatur decretum Apostolorum Actor. XV. 20.* §. LIII. *Sacrificia legem positiuam vniuersalem non constituunt.* §. LIV. *Nonnulla adferuntur huius sententiae argumenta.* §. LV. *Agitur de sanctificando Sabbatho.* §. LVI. LVII. *Diluitur argumentum dissentientium ex Genes. II. desumtum.* §. LVIII. *Verba quae habentur Exod. XXXI. dissentientibus haud patrocinantur.* §. LIX. *Neque obstat locus Exod. XXI.* §. LX. *Respondetur ad argumentum Speneri.* §. LXI. *Adducitur testimonium Apostoli Pauli.* §. LXII. *Nec non testimonium Tertulliani, Eusebii, Irenaei & Iustini.* §. LXIII. *Consentit Augustana Confessio, cui sententia Lutheri derogare non potest.* §. LXIV. *Testimonium paganorum litem non componere ostenditur.* §. LXV. *Neque obstant nostrae sententiae verba Apostoli Pauli ad Hebr. IV.* §. LXVI. *Explicantur haec verba.* §. LXVII. *Adducitur ratio, quamobrem primaeui*

Christiani sabbathum obseruauerint. §. LXVIII. *Conclusiones ex hactenus dictis eruuntur.* §. LXIX. *Agitur de incestis nuptiis in linea recta.* §. LXX. *Hae nuptiae iuri naturali haud repugnant.* §. LXXI. *De coniugio fratrum & sororum disseritur.* §. LXXII. *Agitur de patruo, amita, auunculo & matertera, nec non de vxoris sorore, & fratris vidua.* §. LXXIII. *Diluitur primum argumentum a promulgatione implicita desumtum.* §. LXXIV. *Explicantur verba Leuit. XVIII. 24. 25. 27.* §. LXXV. *Diluitur argumentum secundum & tertium.* §. LXXVI. *De imperio maritali agitur.* §. LXXVII. & LXXVIII. *Explicatio Clerici verborum, quae Genes. III. habentur, examinatur.* §. LXXIX. *Aliud pro nostra sententia adducitur argumentum.* §. LXXX. *Additur argumentum quoddam generale.* §. LXXXI. §. LXXXII. §. LXXXIII. §. LXXXIV. *Longa serie ostenditur ex dictis Apostolorum haud nasci legem positiuam vniuersalem circa imperium maritale.* §. LXXXV. *Adponitur generale argumentum contra leges diuinas positiuas vniuersales.*

Q. F.

Q. F. F. Q. S.

OPVSCVLVM DE NON EXISTENTIA LEGVM DIVINARVM POSITIVARVM VNIVERSALIVM.

§. I.

IUs diuinum positiuum ex speciali Dei reuelatione fluit, adeoque ex lumine rationis cognosci non potest. Dispescitur a Doctoribus in *vniuersale & particulare. Lex diuina positiua vniuersalis*, definiente THOMASIO *in iurispr. diu. l. 1. c. 2. §. 121, est, quae publicata fuit omnibus hominibus, vel certe personis totum genus humanum repraesentantibus; particularis est, quae lata fuit populo iudaico.* Hanc definitionem minus adaequatam, sed suo definito latiorem esse, facile constat; vtraque enim leges morales sub se quoque comprehendit: addere ergo debuisset THOMASIVS, hanc legem positiuam tum vniuersalem tum particularem in rationis lumine non esse contentam; id quod THOMASIVS *c. l. §. 124.* ipse praesupponit. Ante THOMASIVM existentiam legis diuinae positiuae vniuersalis de-

fensam fuisse, ipsum fateri oportet, *l. c. §. 122.* dicentem: *Vniuersalem hanc confidentius nimis Adamo & Noacho datam esse, non solum affirmant iudaei, sed & determinant plane.* Et in scholio sub *lit. e. Sex Adamo datas volunt, 1) de cauenda idololatria, 2) de cultu Dei, 3) de effusione sanguinis, 4) de non reuelanda turpitudine, 5) de rapina, 6) de iudiciis, quibus superadditam Noacho dicunt septimam, de membro animalis viui non comedendo.* At SELDENVS *de I, N & G. secundum disciplinam hebraeorum* pererudite ostendit, Iudaeos, Rabbinorum traditionibus correptos, leges morales cum positiuis in hoc argumento confudisse. Post Iudaeos iuris diuini positiui vniuersalis mentionem faciunt, GROTIVS, CVRCELLAEVS, ZIEGLERVS, KVLPISIVS, obseruante Ill. TREVERO *in not. ad Puff. de O. H. & C. l. 1. c. 2. §. 16*, quibus adnumerauit GVNDLINGIVS *Iur. Nat. c. 1. §. 75.* IOH. ADAM. OSIANDRVM *ad Grot. de I. B. & P.* Primus ergo THOMASIVS non fuit huius iuris inuentor, sed illud in luculentam erigere consonantiam, nouisque argumentis corroborare, omnem mouit lapidem *in iurisprudentia diuina.* Et in hoc sensu accipienda sunt THOMASII verba, in *praef. prudent. consultat. Ius positiuum vniuersale ipse primus, vt non esset nudus sine mente sonus, effeci.* Defendunt leges vniuersales positiuas HOCHSTETTER *Colleg. Pufend. Exerc. III. §. 19. p. 35.* WEBER *in diss. de leg. diuinae positionis*

sitionis vniuersal. GRAMMLICH *in Vindiciis harum legum* &c. GENZKE *in Schediasm. moral. de principiis iusti* &c. Ill. KIPPINGIVS *in specim. errorum communium in iure.* nec non ex parte ALBERT. zum FELDE *in polit. sacra*, & qui sunt reliqui, quibus, duce THOMASIO, quam plurimi eruditorum se opposuerunt. Ad essentiam legis positiuae vniuersalis requirit THOMASIVS, 1) prohibitionem in S. scriptura, 2) eiusmodi actum prohibitum, qui in lumine rationis non continetur, 3) Scripturae S. testimonium, legem istam ad omnes pertinere homines. *Iurispr. diu. l. 1. c. 3. §. 79.* Recenset hic ICtus non nullas huius generis leges *l. c. cap. 2. §. 123*, puta: 1) praeceptum de arbore vetita, Adamo datum; 2) de polygamia; 3) de diuortio vitando; 4) praeceptum, Noacho inculcatum, de puniendo capitaliter homicida, & 5) vitando esu sanguinis; quibus addunt tum alii Doctores, tum ex parte THOMASIVS, 6) sacrificia, quibus cruentum supplicium, pro generis humani flagitio, olim publice sumendum adumbrabatur; 7) praeceptum de sabbatho sanctificando; 8) concubitus *Lev. 18.* prohibitus; 9) praeceptum de imperio mariti in vxorem. Mutauit THOMASIVS sententiam suam in *obseruat. hall. obseru. 27.* id quod multi eruditorum aegre tulerunt. Multis dubiis vexatur haec hypothesis, &, ab vtraque parte quum adferantur praegnantes rationes, nonnulli contrahunt vela, & huius legis χρειτήρια esse censent: 1) si ante

rempublicam iudaicam lata fuit, de quo aliquando implicite constare dicunt, veluti quod Deus gentes ob transgressionem puniuerit, *Leu. 18.* 2) Si Christus ad illam in N. T. provocat. Pro instituti ratione de singulis huius positiui vniuersalis iuris legibus dicendum erit.

§. II.

Omnis lex praesupponit 1) superiorem, 2) vt aliquid praecipiatur, 3) adiectam poenam. In adplicatione horum requisitorum faciamus periculum

1) de ARBORE VETITA differentes. Sedes huius argumenti est *Genes. II. 16. 17. & 18.* Voluit Deus vt primi homines a fructu scientiae boni & mali abstinerent, adiecta comminatione mortis. Adsunt ergo ex mente Doctorum tria legis, quae supponimus, requisita, & praeterea hoc praeceptum in lumine rationis non continetur, nihil ergo obstare videtur, quo minus hoc praeceptum dici possit lex vniuersalis. Obuertit quidem THOMASIVS *in obs. hall. c. l.* Deum cum Adamo non tam dominum aut regem, leges externas praescribendo, sed benignissimum patrem egisse, qui non nisi monita paterna dederit, 2) ait, Deum fuisse iniustum, si de re tam vili tulisset legem. At dissentientes opponunt, Deum esse superiorem homine, & ex legis definitione hoc praeceptum legis vigorem habere, neque dominum feudi directum dici posse tyran-

tyrannum, ad vilem conditionem beneficii possessionem qui restringit. Conf. GRAMLICHII *diss. Vindiciae L. L. diuinar. posit. vniuers.* & Unschuldige Nachrichten *A.1703. p. 852* Interim non negandum est, Saluatorem nostrum in N. T. ad hoc praeceptum non prouocasse, & cessante ratione, vim obligandi cessasse, id quod Ill. IOH. WOLFGANG. KIPPINGIVM *in spec. errorum comm. in iure p. 49.*, acriter leges vniuersales alias propugnantem, fateri oportet. Argumenta THOMASII me quidem non mouent, & nullus dubitarem praeceptum de arbore vetita tanquam legem vniuersalem agnoscere, nisi aliae adessent rationes, quae in longe aliam me traherent sententiam.

§. III.

Ex Dei intentione, vtrum voluerit legem vniuersalem ferre, nec ne, omnis lis componenda erit. Quaelibet materia corruptioni est obnoxia. Ergo & arbor vetita, propter attributa essentialia, omnibus arboribus competentia, vsque ad nostra tempora durare non potuisset, quia essentiae rerum sunt aeternae; nullius autem entis nulla sunt praedicata. Dicis forsan, accedente miraculo hoc fieri potuisse; sed tibi obstat decantatum axioma: a posse ad esse non valet consequentia. Miracula praeter necessitatem non sunt multiplicanda, &, quod magis, hoc miraculum, quod tibi forsan fingis, intellectui diuino e diametro repugat. Deus propter praescientiam, sibi

sibi competentem, omnia futura intuitiue cognoscit, ac si praesentia essent; repraesentauit sibi propterea distinctissime lapsum Adami, & interitum tam Paradisi, quam arboris scientiae boni & mali; Si ergo Deus, id quod nemo in dubium vocabit, praesciuerit, hanc arborem interituram fore certo certius, praeceptum de non comedendis fructibus tantum ad protoplastos, non vero ad omnes homines, quibus nulla fuerit vnquam occasio violandi hanc sanctionem, pertinet. Rite ex his principiis consequitur, vt Deus essentiam arboris vetitae non mutauerit, nec accedente miraculo ab interitu & corruptione, quae omnibus materiis propria est, liberauerit, essentiae rerum enim ab intellectu diuino pendent. Nullius entis nullae sunt affectiones, &, arbore vetita non existente, lex quoque, circa ipsam lata, fuit extincta, & vniuersalis dici nequit. Aliud argumentum legitur *in vsu phil. Wolff.* THÜMMIGII *T. I. c. XI. §. 23. p. m. 472.* dicentis: *Vnde probas enim, futurum fuisse, Adamo non peccante, vt illa arbor, post absolutam obsequii explorationem, & ceteris omnibus prohiberetur? Num certo scis, non fuisse tollendam post explorationem? Atqui haec omnia deberent esse perspecta, si praeceptum istud vniuersale fuisset. Syndico saepe negotiorum expediundorum regulae praescribuntur, quibus violatis damnum redundat in ciuitatem, quis autem dixerit, illas regulas vniuersim ab omnibus fuisse obseruandas ciuibus.* Obiicis forsan: quid si fingamus

arborem

arborem hodienum existere? At ne hoc quidem casu, ob iam dictas rationes exploratum est, hanc legem pro vniuersali fuisse habendam, de voluntate Dei enim non satis constat. Praeterea arbor vetita quum iam dudum e numero rerum fuerit exemta, a posteriori videmus, Deum, ex praescientia futurorum contingentium, legem vniuersalem ferre non voluisse, &, salua mea hypothesi, per me licet hanc legem per fictionem appellare vniuersalem, nam fictio, vt dicere solemus, nil ponit in esse.

§. IV.

Neque nostrae sententiae obstat effatum sacri codicis *ad Rom. V. 12. Propterea sicut per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors*: *& ita in omnes homines mors peruasit*, ἐφ ᾧ πάντες ἥμαρτον *in quo* (vel vti alii malunt: ἐφ ᾧ *quia*) *omnes peccarunt.* Item: *1. Cor. XV. 22. Sicuti enim in Adamo omnes moriuntur.* Prius vero quam ad has respondeam obiectiones, ostendamque, male hic ab effectu ad legem vniuersalem concludi, & vitium subreptionis committi, praemittere liceat simile aliquod, hoc argumentum illustrans. Princeps iustissimus, ac benignitate perspicuus, Numidio cuidam ex mera gratia feudum magni momenti concessit, & ipsum realiter inuestiuit sub hac tamen conditione, ne Numidius in vmbraculum, quod habetur in Principis horto, introiret, & cum hac conditione feudi amissionem coniunxit.

Post

Post nonnullum temporis interuallum Numidius, contra Principis voluntatem, ingreditur vmbraculum, & iure priuabitur feudo, exclusis omnibus eius descendentibus a beneficio, primo adquirenti olim, ex mera Principis gratia, concesso. An hic Princeps erit iniustus? Ego non opinor. An conditio adposita erit lex vniuersalis, ad omnes Numidii descendentes extendenda, si Princeps praeuidit vmbraculum, paucis annis ab hinc effluxis, collapsurum esse? Ego non adfirmarem. An vero Numidii descendentes iure excludi possunt a feudo? Nullus dubito. Enimuero Numidii descendentes nihil perpetrarunt, qui ergo puniri possunt? Non est proprie sic dicta poena, sed successione in feudum priuantur, quod ipsis, ex mera Principis gratia, ex successionis commodo delatum fuisset, si primus adquirens conditioni adpositae stetisset. Easdem conclusiones in praecepto, protoplastis dato, latere, omnino arbitror. Ex mera gratia Deus Adamo promiserat aeternam salutem, & imaginem Dei, summa cum felicitate coniunctam, concesserat, quam iterum, praecepti diuini transgressione, amisit. Deductus in miserrimum statum Adamus, iuxta *Genes. V.* 3, *genuit filium ad similitudinem suam & imaginem suam*, imagine diuina & spe salutis aeternae consequendae destitutum. Et quemadmodum Numidii descendentes, in primo feudum adquirente, peccasse dicuntur, amissoque feudo in summa miseria viuunt, ita omnes

mnes homines in Adamo imaginem diuinam, & spem salutis aeternae, amiserunt. Facile ergo liquet, amissionem Dei imaginis, respectu omnium hominum, proprie sic dictam poenam non esse, sed mala consectaria ex Adami lapsu in omnes homines, hereditaria corruptione, intuitu omnium animae facultatum, deprauatos, profluentia. Qua ratione autem omnium hominum anima pollui potuerit in primo peccatore, docet ex Leibnitio I. Th. Canzius *de vsu phil. Wolffi. in theol. c. 5. §. 9.* Malum originale consistit in absentia multarum perfectionum, & priuatione imaginis diuinae, vnde non possunt non proficisci praui affectus hominum, licet ipsi arboris vetitae fructus non comederint. Eiusdem sententiae est Paulus *ad Rom. V. 14. Regnauit autem mors ab Adamo vsque ad Mosen, in eos etiam qui non peccauerunt, ad similitudinem transgressionis Adami.* Accedit quod Deus ipse in sacra scriptura dicat, se peccata parentum liberis imputare nolle, vti legimus Ezech. *XVIII. 20. Anima quae peccat ipsa morietur. Filius non feret propter iniquitatem patris, & pater non feret propter iniquitatem filii; iustitia iusti cum ipso erit, & improbitas improbi cum ipso erit.* Neque obstat praeceptum decalogi quartum, in quo minatur Deus, se visitaturum iniquitatem parentum in filios; loquitur enim de filiis, qui parentes suos in sceleribus imitantur. In republica iudaica eadem iustitia vsus est Deus, ferendo legem *Deutr. XXIV. 16. Ne morte afficiuntur*

ciuntor patres pro filiis, nec filii morte afficiuntor pro patribus: quisque propter peccatum suum afficiuntor morte. Deus sibi contrarius esse non potest, & iustitiam, quam populo iudaico mandauit, ob perfectionem summam sibi competentem, ipse colit.

§. V.

Quum ex his iam satis perspicuum sit, quod a malo originali ad legem vniuersalem non valeat consequentia. Plura addere non lubet; immo tam prolixe ne disseruissem quidem de hoc argumento, nisi Ill. KIPPINGIVS *in spec. error. comm. in iure §. 16.* legis vniuersalis speciem eamque nouam *in fide in Christum* quaesiisset, quae singularis opinio ex iis, quae supra dicta sunt, facile diiudicari potest. *Vt euangelium audiatur, eique mos geratur, & in Christum credatur, id praeceptum esse*, ait Ill. KIPPINGIVS; *poenam aeternae damnationis*, alteram huius legis partem esse existimat; *vniuersalitatis notionem* ex eo deducit, quod hoc praeceptum ad omnes dirigatur homines; & *positiuam* esse legem, inde concludit, quod naturalis ratio Christum nescit. Multa sunt dubia, quibus haec *positiua lex vniuersalis* vexatur, quae sigillatim enarrare longum foret; paucis ergo me expediam. Numidius ille, de quo supra mentionem fecimus, feudum, ex mera Principis gratia sibi concessum, amiserat cum omnibus suis descendentibus: Princeps autem, benignitate conspicuus, vt clementiae suae

suae luculentissimum ederet signum, a Principe suo hereditario satisfactionem, pro ista felonia, a Numidio commissa, oblatam agnoscit, addita promissione gratiosa, se omnibus Numidiis, qui, mediante Principe hereditario, literas supplices oblaturi ad Principis hereditarii satisfactionem confugerent, amissa feuda restituturum esse. Liberum lectori relinquo iudicium, num haec Principis gratia, omnibus Numidiis oblata, pro lege, proprie sic dicta, habenda sit? Ego quidem non opinor. Quid vero si Numidii descendentes, hanc Principis gratiam respuentes, miserrimam viuunt vitam, num haec appellari poterit poena proprie sic dicta? Nemo huic subscribet sententiae. Haec si conferuntur cum merito Christi & gratia diuina inde pendente, Ill. KIPPINGII sententia, id quod pace huius viri longe celeberrimi dictum sit, sua sponte collabefiet. Inficias ire quidem non possum damnationem aeternam *nostrorum* peccatorum poenam proprie sic dictam esse, at gratia propter meritum Christi a Deo nobis oblata, lex dici nequit, nisi in latissimo significatu, quem lex vniuersalis, quia proprie de lege loquimur, admittere nequit.

§. VI.

Progredimur inoffenso pede ad aliam legem vniuersalem, quam multi Doctorum

II) in POLYGAMIA vetita quaerunt. THEOPHILVS ALETHEVS, alias IOH. LY-

SERVS auctor libelli, qui 1662. Londini Scanorum prodiit, & inscribitur: *Polygamia Triumphatrix*, *Thes. 1. & 2.* asserit, magistratum peccare si non omnibus modis promoueret polygamiam, ad multiplicationem ciuium conuenientem. Praeterea masculus a natura ita comparatus esset, vt vno anno plures infantes procreare posset, id quod in monogamia fieri nequit. *Iam vero*, pergit ille, *Deus & natura nihil agunt frustra. Constat ergo hoc talentum ideo masculo esse concreditum, non vt id recondat in terra, vti scriptura loquitur, sed vt eo lucretur, & illi fini, cui a Deo & natura destinatum est, consecret. Qui vero negligenter hoc opus Dei facit, maledictus est, inquit Ieremias. Quemadmodum igitur peccat, qui bonis animi, puta scientia, sapientia, prudentia, & bonis fortunae, pecunia scilicet, aliisque rebus, non vtitur ad gloriam Dei & bonum proximi promouendum, ita etiam pessime agit, & maxime delinquit, qui bonis corporis, exempli gratia, semine a Deo masculis concredito, non vtitur ad procreationem sobolis, etiam hoc est opus Dei. Qui vero opus Dei negligenter facit, maledictus est, inquit Ieremias de omnibus operibus Dei.* Confundit ALETHEVS, nunquam vxoratus, discernenda, meo enim iudicio distingui debet, 1) an polygamia sit praecepta, 2) an iure naturae sit licita, 3) an sit lege positiua vniuersali prohibita.

§. VII.

§. VII.

Quod ad primam attinet quaestionem, in N. T. haud legimus praeceptum de duobus aut pluribus ducendis vxoribus, & rationes, quas affert ALETHEVS, non stringunt, alias contra semetipsum, in coelibatu semper viuentem, scripsisset, sed tantum euincunt iure naturali, sub certis conditionibus, polygamiam esse licitam. Qui enim sat magnis fortunae opibus instructus est, vt duas pluresue vxores, liberosque quam plurimos alere & educare possit, & sibi persuasum habet, se eiusmodi ducere vxores, inter quas non oriantur diffidia, & denique hoc fiat citra aliarum societatum, quas, impetrandarum perfectionum caussa, iniit, derogationem, is licite, ex mente I. TH. CANZII *de regim. Dei vniuers. Sect. 4. c. 5. §. 973. sqq.* secundum iuris naturalis ductum, plures sibi feminas iungere potest. Eiusdem sententiae est THOMASIVS *in obs. hall. Tom. 6. obs. 27. §. 47.* aiens: *Probatur autem melius esse viuere secundum illas regulas coniugales, quia talis vita indicat, aut coniuncta est cum vita* (vt plurimum) *magis quieta, contrarii autem mores & si non directe turbent pacem externam, tamen occasionem multam suppeditant turbis.* Interim tamen ex his omnibus non sequitur, vt polygamia absolute iure naturali sit prohibita, quin potius, sub datis circumstantiis licita ac permissa.

§. VIII.

Neque lex positiua vniuersalis prohibitiua in S. S. extat. Prouocant quidem Doctores ad institutionem primaeuam, quum creauerit Deus in Adami adiutorium feminam non feminas, volueritque duorum tantum matrimonium; adducunt praeterea verba *Prophetae Malachi c. 2. v. 14. 15.* & *Leuit. c. 18. v. 18.* & Salvatoris effatum *Matth. c. 19. v. 5.*; sed haec omnia me mouere non possunt vt calculum illis adiiciam. Adiunxit Deus vnam feminam Adamo, non tamen ea fini, vt legem vniuersalem ipso facto ferre voluerit, sed speciali ratione ductus primaeuam instituit monogamiam inter Adamum & Euam, pro absoluta lege tamen in posterum non habendam. Principium iuris naturalis iubet homines in societate, externa tranquillitate, & felicitate, perfectionem quaerere; vt eo melius autem hic finis obtineri posset, & homines ad mutuum amorem adigerentur, sapientissimo consilio coniunxit Deus vnum marem & vnam feminam in paradiso, qui communes omnium hominum parentes essent, & argumentum mutui amoris, ex communi sanguine deductum, proponeretur omnibus Adami descendentibus; ex quo principio scite argumentatur ICtus FLORENTINVS in *L. 3. D. de I. & I. Cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.* Falsum tamen est, omnibus hominibus

hanc

hanc monogamiam per modum legis esse propositam, praesertim quum de promulgatione huius legis falso creditae nullum in S. Scriptura legatur verbum, lex vero abscisse requirat promulgationem, addita sanctione poenali, quae iterum in hoc argumento plane deficit. Accedit, quod fratrum vnilateralium, ob pravos hominum adfectus, concordia sit rara, id quod magis, tanquam semen discordiae, metuendum fuisset, si ex diuersis vxoribus Adamus procreasset filios. Fuit ergo tantum consilium, ex ipso facto deductum, indicans monogamiam polygamia meliorem esse. Hanc veritatem iam PLAVTVS agnouit in *Mercat. Act. 4. Sc. 6.* aiens:

Ecastor lege dura viuunt mulieres
Multoque iniquiore miserae, quam viri.
Nam si vir scortum duxit clam vxorem suam,
Id si resciuit vxor, impune est viro:
Vxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit caussa, exigitur matrimonio.
Vtinam lex esset eadem, quae vxori est, viro.
Nam vxor contenta est, quae bona est, vno viro:
Qui minus vir vna vxore contentus siet?

Falso quoque Euripides, bigamus ipse, incommoda Polygamiam concomitantia depingit:

Nunquam gemina de matre genus,
Nunquam duplices laudabo thoros

Odii & dira semina vixae.
Vnam debet non ambigui
Vir participem nosse cubilis:
Duo nec domini rectius vrbes
Terrasque regunt, quam quae Sceptrum
Tenet vna manus. Quin sic oneri
Onus accedit, discors agitat
Rabies rupto foedere ciues.
Etiam artifices carminis inter
Geminos ipse tristia miscent
Praelia Musae; Cumque in Pelago
Vela carinae fert aurea leuis,
Plus vna valet, contenta licet
Dextera claui quae frena tenet,
Quam consilii vis in partes
Distracta duas, aut prudentum
Numerosa cohors. Vna potestas
Temperet vrbem, regnat vna domum
Si modo cordi est tranquilla quies.

Deficit promulgatio, deficit sanctio poenalis huius legis falso creditae, quae tamen partes legis essentiales dicuntur. Ex ipso facto, eoque vnico, deficiente omni praecepto, lex deduci nequit; alias homines, qui primi aliis vestibus quam pelliceis vsi sunt, peccarunt contra legem vniuersalem positiuam, legimus enim *Genes. III. 21. Fecit Iehoua Deus Adamo & vxori eius tunicas pelliceas, quibus vestiuit eos.*

§. IX.

Neque obstat Saluatoris effatum *Matth. XIX. 4. 5.* Nam Christus ibidem loquitur de repudio,

dio, priuata auctoritate a Iudaeis, ex leuissimis causis, mulieri inuitae dari solito, & prouocat ad Adami effatum: *propterea derelinquet homo patrem & matrem & agglutinabitur vxori suae*, & hac occasione tantum narrative dicit, opificem summum ab initio fecisse masculum & feminam. Christus, ex mente omnium Doctorum, legislator non fuit, sed ad nonnullas leges, antea a Deo latas, tantum prouocat in N. T. quum vero monogamia Adami, ex supra deductis, numquam aliis lex fuerit, illam tanquam legem repetere Christus non potuit.

§. X.

Neque effatum Apostoli PAVLI *1. Cor. VII. 2.* obstat: *Sed propter scortationes suam quisque* VXOREM *habeto, & proprium quaeque* VIRVM *habeto.* Aiunt dissentientes, Apostolum non *in plurali* vxores & viros, sed in singulari, *habeat vxorem* esse loquutum. Elumbe sane est argumentum; Paulus enim de vitanda vaga venere disponit, non de polygamia vitanda, & si dixisset, *quilibet habeat vxores*, contra intentionem suam praecipere visus fuisset, vt abscisse polygamia obseruaretur a Christianis, quae iudaeis erat permissa, haud vero absolute imposita. Absurdum quoque suae sententiae praesidium quaerunt in verbis Apostoli *1. Tim. III. 2: Oportet episcopum esse* VNIVS *vxoris virum.* Haec verba respiciunt ad Iudaeorum inueteratos mores, qui ex leuissima

causſa vxoribus repudii libellum mittebant, & aliam vxorem domum deducebant; & ſi haec minus placeret, aliam, interueniente diuortio, priuata auctoritate decreto, ducebant vxorem, immo hac ratione tertiam, quartam & vel vigeſimam matrimonii vinculo ſibi copulabant vxorem. De hoc more Saluator, ſecundum noui foederis principia, ait, *Matth. V. 31.* eiusmodi virum ſcortari, & illum quoque, qui eiusmodi vxorem, iniuſte repudiatam, ducit, moechari. Indecorum & turpe ſane hoc erat, immo in ſcandalum apud primaeuos chriſtianos abibat, adeoque Paulus monet Epiſcopum, ne ſit maritus multarum vxorum, i. e. quarum vnam domi haberet, reliquas vero, repudii iniuſti auxilio, domo eiectas. Vera haec eſt ſententia Apoſtoli Pauli. Contra euntibus, longe aliam explicationem adferentibus, obiiciunt quidem, quod in his verbis tantum Epiſcopo interdicta ſit polygamia, non aliis, ſecundum illud: Exceptio in caſibus non exceptis firmat regulam; ſed, ſequentia citati commatis, verba hanc obiectionem non ferre reſpondent alii, niſi adfirmare velimus, Paulum Apoſtolum male de chriſtianismo ſentire. Tribus verbis me expediam: In commate citato decorum diſtinguendum eſt a vitiis, illud tantum Epiſcopos magis ſtringit quam laicos, hoc vero vtrosque tenet. (§. XV. ſqq.)

§. XI.

Eiusdem farinae argumentum HENR. BROVWERI eſt, quod *lib. 2. de iure connub. c. 5.*

c. 5. ex *Maleachi c. 2. v. 15.* depromit, putat enim, Prophetam ex vnius hominis creatione polygamos Iudaeos perstringere his verbis: *Nonne vnum effecit, & tamen Deo non deerat spiritus abundantia: cur autem vnum? quaesiturum semen Dei.* De Abrahamo haec verba multi intelligunt, dicentes quod cum ancilla Hagar, non ex praua libidine, sed filios vt procrearet, concubuerit, non autem in matrimonium duxerit, multo minus sterilem Saram repudiauerit, quanquam seminis propagationem ei promiserat Deus. Sed haec obscura verba non stabiliunt BROVWERI sententiam. Comma 14. antecedens, & comma 15. subsequens, mentem prophetae, secundum nonnullorum sententiam, ita declarant. Dicit Propheta, aiunt illi, Deum amplius ad munus & oblationes iudaeorum respicere nolle, *propterea quod Iehoua testificatus est*, iuxta Prophetam *v. 14, inter te & vxorem adolescentiae tuae, contra quam iu perfide agis, cum sit socia tua & vxor foederata tibi.* In quonam vero haec perfidia consistat, declarat Prophetа, iuxta illorum sententiam *commate 15: Sibi odio esse dimissionem ait Iehoua Deus Israelis --- quare cauebitis spiritui vestro, vt non perfide agatis.* Consistit ergo Israelis perfidia non in polygamia sed in dimissione, in libello repudii iniusto.

§. XII.

Scio quidem in versione Lutheri longe aliter legi, sed audiatur Abbas venerabilis MOS-

HEMIVS, *in diss. de diuortio §. 6.* scribens: *Nam quod locum Malachiae II. 16. attinet, omnis res eo redit, quod Lutherus* כי שנא שלח תו *interpretatus sit*: Wer ihr gram ist der lasse sie fahren. *Apparet vero primo statim intuitu quod particula* כי *eodem, immo maiori iure ob morem hebraeorum verti possit per* quod, שלח *vero tum Imperatiui, tum Infinitiui in Piel modi esse possit. Quod igitur hoc loco in Infinitiuo stet, docet tum contextus, in quo diuortium Israelitarum frequens a Deo exprobratur, tum regula hermeneutica,* תו שלח *ob accentum coniunctiuum* Munach *cum praecedenti connectens, vt itaque scopum textus accuratius attingamus, & regulas philologicas melius obseruemus, ita locum citatum interpretantes*: Quod oderit dimittere, *id est, diuortium facere*, testatur Deus Israelitarum. Ita nostri Doctores. RASCHI, qui alias RABBI SALOMON IARCHI dicitur, haec Maleaei verba secundum antecedentia & consequentia longe aliter interpretatus est. Primariam Phrophetae intentionem esse, ait, vt Iudaeis, & praecipue Sacerdotibus, connubium cum gentilium filiabus initum, *a commate 10. vsque ad finem* huius capitis, exprobret. Sibi non defuit sane hic Iudaeus in explicando hoc loco. Nam commate vndecimo patescit haec Prophetae intentio, dum ait: *Perfide agit Iehuda, & abominatio fit in Israële & Ieruschalaimis, nam profanauit Iuda sanctitatem Dei, propterea quod amauerit & concubuerit cum filia Dei alieni*, id est cum pagani filia.

Omne

Omne enim connubium cum paganis singulis iudaeis, nedum sacerdotibus, prohibitum legimus *Deutr. VII. 3. 4.* Ea de caussa dicit Propheta *commate duodecimo*: *Iehouam in viro qui tale fecerit exscindere velle e tentoriis Iehakobi* (filium) *vigilantem & respondentem; etiam offerentem munus Iehouae exercituum.* Hoc est: Ex eiusmodi matrimonio haud nasciturum esse filium vigilantem & respondentem de lege diuina, neque dignum qui sacerdotis munere fungatur, praesertim quum munus sacerdotii iure hereditario transiret ad sacerdotum filios, ex matrimonio iusto & legitimo natos. *Versu 13*, exaggerat Propheta hoc scelus, a sacerdotibus patratum, dicens: *Feciſtis tegumentum lacrymarum super altare Domini fletu & gemitu, adeo vt non amplius respiciat* (Deus) *ad munus, & beneuolentia recipiat oblationem e manu vestra.* Hoc est, vxores sacerdotum conuolabant ad altare Dei, & ingemiscendo conquerebantur de iniuria maritorum suorum, paganorum filias ducentium. Rationem muneris a Deo irascente spreti expetentes, hanc ferunt responsionem sacerdotes a Propheta *commate 14*: *Propterea quod Iehoua testificatus est* (Iehoua ipse testis est, adeoque alios testes non requirit in sententia contra te ferenda) *inter te & vxorem adolescentiae tuae* (quam adolescens duxeras in flore suae iuuentutis) *quod contra illam perfide egeris* (ducendo gentilem) *quum sit socia tua & vxor foederis tui* i. e. quum sit vxor ex ea gente quae foederis diuini est particeps.

ceps. *Commate 15.* obiiciebant sacerdotes: Abrahamum quoque idem fecisse paganam ducendo. Respondet Propheta ad hanc obiectionem: *Abrahamum alio spiritu ductum hoc fecisse, quaesiturum semen Dei sibi promissum*; addens, hoc Abrahami exemplum perfidiae sacerdotum patrocinari non posse. Huic argumento tandem Propheta *commate 16.* coronidem imponit dicendo: *Si odio habes* (vxorem ex gente tua) *dimitte* (illam) *dicit Dominus Deus Israelis, nam tegit violentia tegumentum eius.*

§. XIII.

His vltimis Maleaci verbis, quae satis obscura sunt, lumen accenditur ex lege diuina, quae habetur *Exod. XXI. 7. 8. 9. 10. 11.* *Quum autem vendiderit quis filiam suam vt sit ancilla, ne exito vt exeunt hi serui* ex iudaeorum gente, qui iuxta *com. 1. huius cap.* septimo anno gratis in libertatem exibant, sed eiusmodi ancillam post completos seruitutis annos in matrimonium ducat. *Si mala videbitur in oculis suis, ita vt non desponset eam sibi, operam det vt redimatur*: alicui e *populo extero ne ius habeto vendendi eam, perfide agendo cum ea.* *Quod si filio suo desponset eam, secundum ius ipsum puellarum facito ei*, i. e. iure aliarum filiarum ex gente iudaica nubentium fruatur. *Si alteram acceperit sibi*; ALIMENTVM *eius*, TEGVMENTVM *eius*, & עונתה COHABITATIONEM *eius ne diminuito.* *Quod si tria ista non fecerit ei,*

ei, tum exito gratis absque pecunia. Ex his verbis luculenter adparet, *tegumentum* nihil aliud denotare quam vestem, qua dormientes tegebantur, quum orientales non lecto plumis effulto, sed tegumentis suis vterentur. Sensus ergo *commatis 16.* Maleaci: *nam tegit violentia tegumentum eius*, hic est: *Quod violentia* (i. e. iniuria, qua vxor hebraea a marito, gentilem ducendo, afficiebatur,) *delicias thori evertat*; ergo, ait Propheta, *si odio habes vxorem* tuam, non superinducas mulierem paganam, sed potius *mitte vxori tuae repudii libellum*, hac enim ratione non peccabis contra legem *Deut. VII. 3. 4.* nec vxorem tristitia, quae deprimit contrahitque animum non sine dolore aliquo & cura, afficies. Explicatio huius Rabbi, insignis ICti iudaici, optime declarat mentem Prophetae iuxta antecedentia & consequentia, nec τὸ שלח Infinitiui modi esse potest hoc loco, nam 1) contra analogiam iuris diuini est, si Propheta damnaret repudii libellum, quem tamen vxori mittere Deus *Deuteron. XXIV.* permiserat. Accedit 2) quod verba Prophetae Maleaci cum antecedentibus non cohaereant, si Lutheri versionem wer ihr gram ist der lasse sie fahren reiiciamus. Tandem ex insigni loco *Exod. XXI.*, supra allato, prono fluit alueo, polygamiam in V. T. fuisse permissam, imo hypothetice a Deo praeceptam; si enim iudaeus odio inductus non desponset sibi ancillam, sed de facto aliam ducit mulierem, obstringitur hac lege, vt nihilo secius tegumen-

mentum, alimentum & *cohabitationem* i. e, concubitum ancillae praestet, aut gratis exire ipsam sinat, quam antea iudaeo vendere potuisset. Dicis forsan, *cohabitationem* hic denotare, *habitationem*, iuxta TREMELLII & IVNII versionem, adeoque alimentum, tegumentum & habitationem significare alimenta naturalia & ciuilia. At probe notandum est, תְּ עונה *Ona* non *habitionem* sed *cohabitationis tempus* significare, quo vxori debitum coniugale praestatur; quae vox adfirmante CHRIST. STOCKIO *Clau. ling. sanct.* lucem accipit ex arabica lingua, vbi *Anna* notat mulierem marito iunctam. Praeterea perspicuum est, Deum in hac lege puellae, a patre in seruitutem detrusae, & a domino spretae, beneficium tribuere voluisse, dici autem non potest beneficium, si ad perpetuam virginitatem, plerumque puellis, inprimis vero iudaicis, ingratam, damnasset eo casu, quo dominus eam gratis exire noluerit; immo, quod magis, in perpetua seruitute vel quasi fuisset puella, accipiendo tantum alimenta.

§. XIV.

Reliqua dubia, quae a dissentientibus proferuntur, attingere non lubet, sunt enim ex eorum numero, quae facile diuelli possunt. Nos pro stabilienda nostra hypothesi duobus adhuc, iisque firmissimis, vtimur argumentis. Primum argumentum habetur 2. *Sam. XII. 7. 8*, vbi commemorat Nathan beneficia Dei, in Dauidem collata,

lata, his verbis: *Sic ait Iehoua Dominus Israelis, ego vnxi te in regem super Israelem, & ego te eripui e manu Schaulis: praeterea tradidi tibi domum dominorum tuorum, etiam vxores dominorum tuorum in sinum tuum, denique tradidi tibi domum Israelis & Iehudae: & si parum est, additurus fui tibi haec & talia.* Si ergo beneficium fuerit, quod Deus Dauidi multas tradiderit vxores, polygamia interdicta vni viro esse nequit, quam sententiam & WILLENBERGIO, post alios, placuisse video. Obuertit quidem, ex mente Fechtii, Ill. IOH. WOLFFG. KIPPINGIVS 1) locutionem *dare in sinum*; *remetiri in sinum*; idem esse, ac dare in potestatem, & 2) Dauidem, propter legis Mosaicae prohibitionem, concubinas soceri in matrimonium ducere non potuisse. Sed ad primum respondeo: talia sunt praedicata, qualia permittuntur a suis subiectis, mulieres enim in τὸ חיק in sinum datae, mulieres in seruitutem detrusae esse non possunt; & quod ad prohibitionem attinet, nihil de hac re in sacra scriptura legimus. Alterum quod habemus argumentum, extat *Deuteron. XXI. 15. 16. 17.* En legem diuinam: *Quando erunt viro duae vxores, vna dilecta, altera exosa, peperintque filios ei dilecta & exosa: erit autem filius primogenitus, eius, quae exosa est: tum erit vt quo die possessores instituet filios suos eorum quae sunt ipsi; non possit primogenitum efficere filium dilectae, in conspectu filii exosae, qui primogenitus est: sed eum qui primogenitus est filium*

lium exosae agnoscito, dando ei portionem duorum ex omnibus quae praesto sunt ei: Nam is est principium potentiae eius, ipsius est ius primogenitorum. Disponit ergo Deus de filiis ex polygamo procreatis, nec polygamiam vel vno verbo damnat, quum tamen optimam hic habuisset occasionem πολυγυναικίαν damnandi, magis de ea, tanquam de re licita, disponit. Neque obstat GERHARDI FELTMANNI *Tr. de polygamia p. 162. n. 355*, nec non BROVWERI *lib. 2. de iure connub. c. 12. n. 10.* obiectio; *de liberis incestuosis extare dispositiones, nec tamen ideo dici posse, incestum non esse damnatum*; siquidem nemo, cui sanum est sinciput, in dubium vocabit, incestum iure mosaico fuisse prohibitum, extantibus vero claris legum dispositionibus, haud necesse fuit exprimere legum prohibitiuarum sanctiones, quum ageretur de iure incestuosis liberis competente; id quod tamen dici nequit de polygamia, quae expressis verbis in Sacris litteris nullibi est prohibita. Ergo ab incestu ad polygamiam non valet consequentia. De polygamia Iacobi nil dicam, in vulgus enim peruulgatum est, dissentientes, cum INNOCENTIO III. *c. 8. X. de diuort.* reuelationem fingente, miseram adferre responsionem, quod Deus hoc matrimonium duplicatum ex tolerantia permiserit stante inconcussa lege vniuersali, quae tamen nullibi, & nequidem *Leu. XVIII. 18.* legitur, quippe qui locus aperte loquitur de duabus proprie sic dictis sororibus, in simultaneum matri-

matrimonium sub certa conditione non ducendis, quae verba, nisi me omnia fallunt, nostrae hypothesi praesidio esse possunt; exceptio enim, vt dicere solemus, in casibus non exceptis firmat regulam.

§. XV.

Hac lege vniuersali in nihilum redacta, ad aliud argumentum progredimur, dissentes III) de DIVORTIO. Grauiora circa hoc argumentum adferuntur dubia. Obstare inprimis videntur verba Christi *Matth. XIX. 4. 6.* Interrogabatur ibi Saluator a Pharisaeis eum tentantibus: *Licetne homini dimittere vxorem suam* QVAVIS EX CAVSSA? Respondebat Saluator: *Non legistis opificem ab initio fecisse masculum & feminam, & dixisse, propterea derelinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur vxori suae: & erunt bi duo in vnam carnem. Itaque non amplius sunt duo sed vna caro;* QVOD ERGO DEVS CONIVNXIT HOMO NE SEPARET. Confer. *Genes. II. 24.* Negare non possum haec verba animum meum turbasse. Sequutus fueram illos Doctores, qui omnem legem positiuam vniuersalem fundamento destitui adfirmant; at haec saluatoris verba legens, iuncta Venerab. Abb. MOSHEMII *dissertatione de diuortio*, facile a tramite incepto me dimoueri passus fuissem. Sed res in vado est. Euolui multos Doctores diuortium e numero legum positiuarum vniuersalium eximentes, nihil autem inuenire licuit. Ope-

rae ergo pretium est, vt paullo adcuratius de hoc argumento differamus, & ex primis principiis nostram deducamus sententiam.

§. XVI.

Postquam Deus creauerat omnes bestias, pisces & volucres, tum masculini tum sequioris sexus, & soli Adamo auxilium deerat commodum, iniecit Iehoua Deus soporem altum in Adamum, & e costa, quam sumserat de Adamo, exstruxit mulierem, eamque adduxit ad protoplastum. Adamus, vt vidit feminam, admiratione & gaudio perfusus, ait: *Hac demum vice adest os ex ossibus meis, & caro ex carne mea; haec vocabitur vira* (Männin) *eo quod haec ex viro desumta est. Idcirco relicturus est vir patrem suum & matrem suam: & adhaerebit vxori suae, eruntque in carnem vnam.* Haec verba, teste scriptore sacro, ab Adamo in statu integritatis prolata, indicabant, matrimonium in hoc felicissimo statu indissolubile, & ob violationem fidei coniugalis, quae in statu integritatis prorsus exulabat, hypothetice diuortium locum non habiturum fuisse, Postquam vero homines imagine diuina erant priuati, & res aliter sese habebat post lapsum ac ante eundem, aliter quoque calculus est subducendus, quum a statu integritatis ad nostrum statum corruptum non valeat consequentia. Interim principia iuris naturalis circa matrimonium firma & inconcussa manent. Matrimonium, etiam in polygamia diuerso respectu, est pactum maris

maris & feminae in idem placitum, puta in concubitum procreandae sobolis caussa, & mutuum adiutorium, ad dies vitae duraturum. Omne pactum praesupponit mutuum consensum, ex quo nascitur obligatio ad praestandum id, quod ab vtraque pacisscentium parte, etiam tacite, promissum est. Ergo neque maritus inuita vxore, neque vxor inuito marito, si violationem fidei coniugalis, tanquam conditionem huius pacti tacitam, exceperis, a se inuicem diuertere possunt.

§. XVII.

Has conclusiones, ex lumine rationis & pactorum natura deductas, etiam Iudaeos ante Mosis tempora obligare necesse erat. At Deus, quum, adnotante IOANNE SPENCERO *de legib. hebraeor. ritual. lib. 3. diss. 1. c. 2. sect. 3. p. m. 20. edit. Hagae comit. 1636.* ad morem & modulum Israelitarum in ferendis legibus se adtemperauerit, hoc pactum quoad Iudaeos mutare voluit, ita vt maritus ipso facto non promitteret suae vxori indissolubilitatem matrimonii, adeoque & vxori iudaicae non adquirebatur ius absolutum ex hoc pacto matrimoniali inito. Necessario haec praesupponenda sunt in lege mosaica *Deuter. XXIV. 1.*, alias enim, si dixeris, mulierem iudaicam ex pacto matrimoniali cum marito inito habuisse ius quaesitum petendi, ne maritus, se inuita, repudii libellum scriberet, contra principia iuris naturalis, quae tamen immutabilia sunt, permisisset Deus Iudaeis ab vxoribus suis inuitis

vt discedere possent; id quod de Deo, tanquam iuris naturalis auctore, dici nequit.

§. XVIII.

Diuortia maturius,& ante latam legem mosaicam, inter Gentes, immo etiam inter Israelitas, inualuisse, patet ex *Leu. XXI. 14. Num. XXX. 9.* Facile ergo liquet, Iudaeorum diuortia, ante huius legis publicationem, ex moribus in Aegypto deprauatis orta esse, quum de facto & pro lubitu mariti alloquerentur vxores:

Collige sarcinulas - - - & exi!
Iam grauis es nobis, & saepe emungeris, exi!
Ocyus & propera. Sicco venit altera naso.

Satis perspectum atque cognitum erat Deo, gentem iudaicam pertinacem & refractariam in arctiores coniugii cancellos, quam gentes, se includi non esse passuram; permittebat ergo *Deuter. XXIV. 1*, ne ethnicos de facto sequeretur, & peccata accumularet, *vt maritus vxorem, quae propter rem aliquam turpem non inuenit gratiam in oculis illius, scripto libello repudii, dimittat e domo sua.* Palam itaque est ex hoc commate, quod maritus vxoris prior tantum propter rem turpem aliquam dimittere potuerit hanc vxorem; & secundo huius repudiatae vxoris marito, secundum sequens huius capituli comma, integrum fuerit eandem dimittere vxorem propter solum odium, licet turpitudinem aliquam in ea non inuenerit.

§. XIX.

Haec dispositio Doctoribus iudaicis ansam dedit anxie inquirendi, vtrum diuortium abscisse requireret turpitudinem aliquam, an vero absque omni, vel saltem ex leuissima caussa, decerni posset coniugii dissolutio propter solum odium, quo maritus persequeretur vxorem. Disceptabant praeterea inter se, quinam casus, si necessario caussa diuortii in turpitudine esset quaerenda, sub verbo turpitudinis comprehenderentur. In duas sectas tandem abierunt hi litigatores. *Hillelianae* sectae addicti quamcunque, etiam leuissimam caussam, quae odiosam marito redderet vxorem, sufficere aiebant; *Schammaeanorum* placitis autem subscribentes, requirebant eiusmodi caussam, quae turpe aliquod factum in se contineret. Hilleliana secta captabat auram populi; at Schammaeanis prudentiores adiiciebant calculum. Hinc quotidianae rixae, dissidia & contentiones oriebantur. In recenti erat memoria, quod Christus *Matth. V. 31. & 32.* contra hanc Mosis dispositionem in monte docuerat: *omnis vxori suae libellum absceſſionis, extra rationem scortationis, dans facit, vt ea moechetur, & quisquis dimissam duxerit, moechatur.* Noua haec & Iudaeis inaudita thesis, quae tamen in iure naturali firmissimum habet fundamentum, occasionem dedit Pharisaeis ex Christo, tentationis caussa, quaerendi: *Licetne marito* (nam ἄνθρωπος hoc loco non

quemuis hominem, sed tantum *maritum* denotat, quia Pharisaei decisionem iurgii quotidiani, ex *Deuter. XXIV.* deducti, expetebant, adeoque non de quouis homine sed abscisse de *marito* loquebantur) *dimittere vxorem suam ex quauis caussa?* Christus neque Schammaeanae, neque Hillelianae adsentitur sectae, optime sciens, legem mosaicam forensem, propter suum aduentum valorem amittere, & moralem doctrinam principiaque iuris naturalis, permissione mosaica iam sublata, de nouo inculcari debere. Respondet ergo Christus non tanquam legislator sed tanquam Doctor & moralium Anteceſſor: *olim, ante legem mosaicam, rem aliter sese habuisse, & maritum inuita vxore libellum repudii scribere, & vxorem suo iure quaesito priuare non potuisse.* Ne vero vllus scrupulus restaret Iudaeis, ablegat illos ad primaeuam institutionem, dicens: *opificem fecisse masculum & feminam*; & duas profert rationes, quae maritum obstringant, vt in pacto matrimonii vxorem iure quaesito non priuet; quarum prima petita est ab amore erga os de suo osse desumtum; alteram vero rationem Saluator ex eo depromit, quod duo forent in vnam carnem; & ex his duabus rationibus concludit Saluator: quapropter derelinquet ἄνθρωπος i. e. maritus patrem & matrem & agglutinabitur vxori suae.

§. XX.

Cardo huius controuersiae ergo in eo volueba-
tur, vtrum maritus inuita vxore ex qua-
vis

vis causſa diuertere poſſet, nec ne? & quum Chriſtus ex principiis iuris naturalis, tum marito tum vxori mutuam obligationem ex pacto matrimoniali dantibus, negatiuam tueretur ſententiam, obiiciebant Iudaei diſpoſitionem moſaicam: at reſpondebat Chriſtus, Moſen, propter Iudaeorum σκληροκαρδίαν, permiſiſſe, vt maritus neque ipſo facto, neque diſertis verbis, promitteret vxori ſuae indiſſolubilitatem matrimonii, adeoque & vxori iudaicae non adquireretur ius abſolutum, ſed tantum hypotheticum, ex hoc pacto matrimoniali, quod ab initio ita non fuiſſet. Haec permiſſio ſpecialis, quemadmodum omnis lex forenſis, ceſſabat, quum Saluator nouum foedus aperiret, recte ergo dicit ſubſtratis iuris naturae principiis: *quod Deus coniunxit*, ἄνθρωπος i. e. maritus, *inuita* vxore, *ne ſeparet*. Verba Chriſti ne vllam ſpeciem legis *poſitiuae* vniuerſalis prae ſe ferunt, ſed iuris naturae principium: *pacta ſunt ſeruanda*, in ſe continent, praeſertim quum Chriſtus non fuerit legislator, ſed tantum, ipſo fatente *Marci I. 38*, munere Doctoris optime functus ſit; quas veritates in apricum deducit PVFFENDORFF *de hab. rel. ad ſtat. §. 16. & 17.*

§. XXI.

Obuertis forſan, Chriſtus quidem nouas leges non efformauit, neque Princeps terreſtris aut legislator in genere fuit, attamen *Matth.*

XIX. 4-6. prouocat ad primaeuam institutionem, tanquam ad legem vniuersalem positivam. Responsionem cape. Oppido falsum est primaeuam institutionem pro lege vniuersali positiua esse habendam, nam ipso facto eoque vnico, deficiente sanctione poenali, lex non fertur; & posito, sed non concesso, si vel maxime hoc Adami exemplum lex dici posset, attamen a statu integritatis ad nostrum statum corruptum non valet consequentia. Nullius entis nullae sunt adfectiones; adeoque Christus in verbis citatis ad legem vniuersalem, falso creditam, prouocare non potuit, & male nostri Doctores concludunt ex postulato quodam hactenus non probato, & numquam probando. Praeterea Christus respondet ad quaestionem a Pharisaeis proprositam; *vtrum maritus inuitae vxori libellum repudii ex quacunque causſa dare possit?* suadent igitur regulae bonae interpretationis, vt responsionem Christi Pharisaeorum interrogationi, secundum ea quae supra dicta sunt, accommodemus.

§. XXII.

Neque obstat vox alias generalis ἄνθρωπος, siquidem scriptores graeci hanc vocem *pro viro* saepius sumunt. Exempli loco esse potest PLVTARCHVS *de pueror. Institut.* aiens: τελείους ἀνθρώπους ἡγοῦμαι τοὺς δυναμένους τὴν πολιτικὴν δύναμιν μίξαι τῇ καιράσαι τῇ Φιλοσοφίᾳ. *Perfectos VIROS ego eos censeo, qui norunt facultatem*

tem ciuilem permiscere & contemperare cum philosophia. Clarior locus extat apud AESCHINEM qui in verbis ἄνθρωπος τὴ γύνη virum opponit mulieri. Sed quid opus est alienis vti testimoniis quum ipse Saluator *c. l. com. 5.* opponit ἄνθρωπον τῇ γυναικὶ, certo indicio, hoc loco sermonem esse de marito secundum Mosis permissionem diuertente ab vxore invita. Verbum ergo ἄνθρωπος verti debuisset pro substrata materia der Ehemann.

§. XXIII.

Nec opponi possunt nostrae sententiae rationes a Christo *Matth. XIX.* allatae, quin potius ei patrocinantur. Ait Saluator *com. 5.* Adamum *in statu integritatis* dixisse: propterea derelinquet איש *vir* patrem & matrem suam & adhaerebit vxori suae. Adamus haec verba loquebatur ex animi sui sententia, perfusus gaudio & admiratione quod videret feminam sibi datam fuisse in mutuum adiutorium,& concumbendi caussa. Perspectum quoque habebat eiusmodi societatem requirere mutuum consensum, & ius quaesitum ab vtraque parte producere, quodque alter alteri inuito aufferre non posset. Ait Ill. BOEHMERVS *l. 4. tit. 19. §. 2. Iur. Eccl. Prot. Equidem de solo marito loquitur diuinus scriptor, sed hoc vel ideo, quod de vxore minor ratio dubitandi esset ex lege coniugii marito adhuc subiecta, & ideo magis adhuc constricta: maritos plus libertatis forsan sibi vindicaturos esse praeuidebat, & hanc*

ob causſam neceſſum ducebat illis verum matrimonii vinculum ob oculos ponere. Vim regulae vniuerſalis vero haec verba habere, quae omnibus matrimoniis legem perpetuam ſcriberet, vel inde liquet, quod ad coniugium Adami cum Eva haec verba non quadrent, quum neuter parentes haberet, adeoque potius poſterorum coniugia tangant, eorumque indiſſolubile vinculum arguant. Sed prima ratio, id quod pace Viri III. dictum ſit, non ſtringit; ait enim diuinus ſcriptor quid Adamus dixerit in paradiſo, non quid dicturus fuiſſet tempore Moſis; qui enim ſcire potuerit Adamus ſuos poſteros vxores ſuas de facto, & contra naturam ſocietatis coniugalis, in totum ſubacturos eſſe; potius Adamus his verbis mentem ſuam, ſecundum rationis lumen, declarat, licet mulierem de mutua huius pacti obligatione non excludat. Interim non negandum eſt, haec verba ad omnes Adae poſteros pertinere, quippe qui ex iuris nuturae principiis, aeque ac protoplaſti, mutua obligatione conſtringuntur, ne alter coniugi alteri inuito repudium mittat, & contra ius tertio quaeſitum agat: minime ergo haec verba Adami *poſitiuam*, bene tamen *moralem* in ſe continent legem, eamque vniuerſalem. Mutuus in hac ſocietate arctiſſima requiritur amor, cuius indicium eſt, quod Eua ex carne Adami efformata fuerit. Conf. BVDDEVS *in Hiſt. Eccl. V. T. P. I. Sect. I. §. 19. p. 102.* Si autem exinde concludis, matrimonium vtriusque conſenſu diſſolui non

poſſe,

posse, sed absolute indissolubile esse, toto coelo erras. Haec tua conclusio illata si vera esset, necessario sequeretur, vt connubium ob fidei coniugalis quoque violationem dirimi non posset, haec violatio enim carnis vnitatem, quam praesupponunt in marito & vxore, tollere non potest. Omnia ergo huc redeunt, quod propter mutuam coniugum obligationem alter coniugum inuito altero matrimonium rescindere nequeat, quamdiu alter conditionibus tacitis steterit, & fidem coniugalem non violauerit. Haec omnia ex pactorum natura, minime vero ex lege *positiua* vniuersali descendunt.

§. XXIV.

Praeterea erroneum est, prouerbium in ore omnium versatissimum: Mann und Weib, sind ein Leib, ab Adamo originem trahere, & vero fundamento niti. Legitur *Genes. II. 24.* והיו לבשר אחד quae verba vertunt: *& erunt caro vna*, quum tamen *praefixum* ל non frustra adpositum sit, sed significet AD, adeoque haec verba verti debuissent: *& erunt ad carnem vnam.* Sensus ergo huius effati est, quod peracto coniugum concubitu, accedente conceptione, vtriusque coniugis caro in embryone coalescat, & infantes ex carne parentum, in vnam carnem redacta, consistant. Huic explicationi adstipulatur RASCHI *in Comm. ad h. l.* falsе scribens: *Infans formatus est per vtrumque, & ibi erit caro ipsorum vna.*

Ad

Ad somnia rabbinica non pertinet haec explicatio, sed necessario admittenda est, alias enim 1) sine ratione *praefixum* ל adpositum fuisset, si sensus verborum denotaret, quod vir & vxor vna esset caro; nec 2) in fonte graeco legerentur verba *Matth. XIX. 5. & 1. Cor. VI. 16.* ἔσονται οἱ δύο ΕΙΣ σάρκα μίαν; immo 3) si vir & vxor dicerentur vna caro, violatio fidei coniugalis, vt paullo ante dictum est, matrimonium non dirimeret, πορνεία enim hanc vnitatem carnis soluere non potest. Neque verba commatis sequentis ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία, *itaque non amplius sunt duo, sed vna caro*, nostrae obstant sententiae, necessariam enim relationem habent ad effatum Adami, & subintelligi debet: *in liberis procreatis* carnem parentum vnam esse. Maxime veritati consentanea est haec nostra sententia, quippe quae praeterea exinde probatur, quod Apostolus Paulus *1. ad Cor. VI. 16.* de scortatione ait: *Qui adhaeret meretrici vnum corpus est cum ea*, & in subsequentibus explicationem horum verborum habet: *Nam hi duo, vti scriptum est, erunt in vna carne.* Luculenter haec verba probant, vnitatem coniugum haud intelligendam esse de perfecto & arctissimo amore, vti nonnulli somniant, alias de amore impurissimo vel potius oestro libidinis, quod scortatores vrit, iisdem verbis loqui non potuisset Apostolus, quibus Adamus de coniugibus vsus est olim. At in vnitate carnis, quae

in

in embryone consistit, tum coniuges tum scortatores conueniunt.

§. XXV.

Postremo dissentientes confugiunt ad verba vltima huius commatis sexti: ὁ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω, quae vertunt doctores: *quod ergo Deus coniunxit HOMO ne separet.* In generali *hominis* termino praesidium quaerunt; at haec verba in relatione ad antecedentia necessario explicari debent. Liceat ea, quae fusius supra sunt dicta, quasi per indicem repetere, vt hanc Christi conclusionem recte intelligamus. Ex principiis iuris naturalis & natura pacti coniugalis mutua obligatio inter coniuges oritur, vt alter coniux inuita altera parte matrimonium soluere non possit. Haec principia, ex pacto bilaterali aequali deducta, ab Adamo vsque ad dispositionem mosaicam nulla exceptione gaudebant; Mosis autem tempore Iudaeis, ob σκληροκαρδίαν, permittebatur, ne vxoribus suis indissolubilitatem neque verbis neque facto promitterent mariti. sed iuxta *Deuteron. XXIV* repudii libellum scribere possent, quae dispositio diuina *Maleaci II. 16.* (*§. XI. XII & XIII.*) extat quoque. Hanc permissionem varie interpretabantur Iudaei; dicentes ex parte, quod maritus ex quacunque caussa vxorem ex thoro eiicere posset; licet haec opinio ab aliis in dubium vocaretur. Adibant ergo Christum interrogantes: vtrum ἄνθρω-

ἄνθρωπος maritus vxori posset scribere libellum repudii ex quacunque demum caussa, nec ne? Christus, optime sciens dispositiones Iudaeorum forenses hoc tempore abrogandas esse, ex iuris naturalis & moralis doctrinae principiis, in posterum nullam exceptionem propter σκληροκαρδίαν admissuris, respondebat: Adamum, amore coniugali inductum, ex mutuae obligationis principiis longe aliter sensisse, & dixisse: *propterea derelinquet ἄνθρωπος maritus patrem & matrem & agglutinabitur τῇ γυναικὶ αὐτοῦ vxori suae, & bi duo erunt ad carnem vnam* in liberis procreatis. *Itaque*, concludit Christus ex verbis Adami, *non amplius sunt duo, sed* in liberis procreatis *vna caro. Quod ergo Deus* tanquam auctor iuris naturalis *coniunxit, ἄνθρωπος maritus*, quemadmodum ex permissione Mosaica hactenus factum est, *ne separet* propria auctoritate, nec laedat ius quaesitum vxoris, quum ex natura huius pacti matrimonialis maritus, inuita vxore, & vxor, marito inuito, matrimonii vinculum soluere non possit. Hanc iuris naturalis doctrinam, iam dispositione mosaica valorem suum amittente, inculcat Christus, docetque, maritum amplius ad legem mosaicam prouocare non posse. Eaque de caussa pergit Saluator in his conclusionibus, *com. 9.* aiens: *Dico autem vobis, quicunque dimiserit vxorem suam*, praeter λόγον πορνείας, i. e. scortationem, aut in genere violationem fidei coniugalis, *& aliam duxerit; moechatur*, &

abs-

absque sufficiente ratione *dimissam*, quae nempe fidem coniugalem non violauit, *qui duxerit, moechatur.* Hae conclusiones aperte indicant, Christum, impositurum legi mosaicae finem, tantum principia moralia & iuris naturalis conclusiones, minime autem legem vniuersalem positiuam, ob oculos habuisse.

§. XXXVI.

Neque iis subscribendum est, qui somniant, legem mosaicam *Deuter. XXIV. 1.* quoque προγνείαν pro fundamento in τὸ ערות דבר habere; haec enim opinio si vero inniteretur fundamento, nulla in lege mosaica propter Iudaeorum σκληροκαρδίαν deprehenderetur exceptio a regula, nec Maleaci verba, iuxta nostram explicationem, ab omnibus detorsionibus immunem, & cum antecedentibus & consequentibus optime cohaerentem, praecipere potuissent ob solum odium, ad euitandum grande scelus, vxorem dimittere.

§. XXVII.

Ex his omnibus ergo, quae fusius proponenda fuerunt, legitime consequitur, 1) vt Adamus legem positiuam vniuersalem non edixerit, sed principia iuris naturalis proposuerit; 2) vt lex positiua, si vel maxime, id quod tamen ad rauim vsque negandum est, in verbis Adami lateret, attamen vniuersalis esse non possit, quia a statu integritatis ad statum corruptum non valet consequentia; 3) vt Chri-

sti

sti verba *Matth. XIX*, ex casu, a Iudaeis ibidem proposito, declaranda, nec in specie verba prolata: *quod Deus coniunxit maritus ne separet*; generaliter & extra contextum explicanda sint, sed tantum ad legis mosaicae abrogationem respiciant, saluis iuris naturae principiis; 4) vt vnitas carnis non ad parentes sed ad liberos referenda sit; 5) vt maritus inuita vxore, & vxor inuito marito matrimonii vinculum dirimere non possit, hoc tamen, sepositis legibus humanis, vtriusque consensu concedendum sit; 5) vt lex positiua vniuersalis circa hoc argumentum non inueniatur, sed omnia ex lege morali vniuersali pendeant.

§. XXVIII.

Sequitur

IV) praeceptum Noacho de homicida capitaliter puniendo *Genes. IX. 6.* datum: *Quicunque effuderit sanguinem humanum, per hominem fundetur sanguis illius.* In his verbis legem positiuam vniuersalem latere, multi Doctorum existimant. Cum Anabaptistis & Socinianis, gladium vltorem omni Magistratui eripientibus, omnesque poenas capitales in totum damnantibus, non facimus quidem; argumenta enim, quae ab ipsis proferuntur, ex eorum sunt numero, quae responsione nequidem indigent: Confer. *Form. concord. Epit. c. 12. p. 624.* Interim non satis adparet quod adducta verba pro lege vniuersali positiua habenda

da sint. Alii, adnuente ALBERTO ZVM FELDE *in politica sacra Sect. 2. c. 2. §. 26*, legem moralem esse aiunt, cui sententiae quam lubentissime subscribo, dictitat enim recta ratio homicidam puniendum esse, licet illi opinioni calculum non adiiciam, quod lex positiua sit, *quatenus*, ex mente ALBERTI ZVM FELDE, *arbitrariam poenam denunciat.* Intelligit hic auctor per vocem *arbitrariam* eiusmodi poenam, cuius determinatio, iam expressa in legibus, pendet ex legislatoris arbitrio; quum alias *arbitraria poena* ICtis sit, quae in legibus haud determinata sed arbitrio iudicis prorsus relicta, & pro ratione circumstantiarum & culparum aut exasperanda aut mitiganda est.

§. XXIX.

Ante omnia status controuersiae rite formari debet, prius ad dissentientium argumenta quam respondeamus, & nostram de hoc argumento sententiam proferamus. De eo non quaeritur, vtrum poena capitalis homicidio doloso proportionata sit nec ne? neque de eo quaestio est, quid magis conducat reipublicae? neque loquimur de poena capitali in totum proscribenda; sed tota controuersia in eo consistit, vtrum Deus lege positiua vniuersali poenam gladii abscisse dictauerit, ita vt Princeps vel in genere τὸ κύριον in republica gerens, hanc poenam haud mitigare, vel iure aggratiandi vti non possit,

nam ius naturae poenam capitalem homicidio non dictitat, vt ad vnum fere omnes fatentur Doctores, siquidem fundamentum iustarum poenarum ex iure talionis haud desumendum est. PVFFENDORFF *de I. N. & G. VIII. 3. 27.* THOMASIVS *de iure aggrat. Princ. Evang. in cauſ. homicidii c. 4. §. 2.*

§. XXX.

Verba *Geneſ. IX. 6.* legem positiuam in se continere vniuersalem quam plurimi defendunt, dicentes: latam esse hanc legem ab imperante Deo; verba dispositiua, & poenam determinatam habere adiectam; datam esse ante Rempublicam iudaicam & quidem Noacho, communi generis humani parenti; Christum in nouo foedere ad hanc legem prouocasse, & denique Sanctionem huius legis poenalem ex ratione non cognosci, adeoque omnia legis vniuersalis positiuae requisita habere, & Principem circa poenam capitalem dispensare non posse, sed homicidam dolosum absolute gladio puniendum esse. Inprimis indagandum est, vtrum verba *Geneſ. IX. 6.* legis habeant vigorem, nec ne? THOMASIVS *in diſſ. de iure Princ. Evang. aggrat. homicid. c. 4. §. 4.* negatiuam sequentibus verbis tuetur sententiam: *Respondeo 1) in textu ebraico esse futurum, quod etiam intelligi potest de eo, quod iudicio Dei occulto communiter fieri solet, vt homicidae, etiamsi effugiant poenas humanas,*

manas, tamen eorum sanguis fundetur iterum ab aliis hominibus. Nec 2) iuuat dissentientes, quod dicant, in plurimis tamen locis futurum etiam notare id, quod fieri debeat ab hominibus per modum praecepti. Nam non sufficit quod ita intelligi possit, sed sufficit nobis, quod etiam prior sensus locum habere queat. Vbi vero quaeritur, quis sensus sit praeferendus, non nobis incumbit probatio, sed dissentientibus per monita superius. (cap. 1. §. vlt.) 3) Pro nostra explicatione militat regula, de interpretatione praeferenda quae optime conuenit cum iure naturae, at talis est, quae Principi relinquit potestatem dispensandi in omnibus delictis, per probata supra c. 2. integro.

§. XXXI.

Negandum quidem non est futura vim imperandi apud Hebraeos quam saepissime habere, at status controuersiae huc potissimum redit, an תּוֹ ישבר h. l. absolute vim imperandi, in legibus occurrentem, habere debeat. Ego non opinor, non solum ob ea quae in verbis allatis profert THOMASIVS, sed & ob rationes sequentes: 1) quod antecedentia & consequentia huius commatis sexti legem non inuoluant; 2) quod primitiua ecclesia christiana non abscisse poenam capitalem requisiuerit; 3) quod tempore Noachi nondum fuerit res publica, adeoque magistratui, quemadmodum dissentientes volunt, haec verba pro lege cedere non potuerint; & denique

nique 4) quod exemplum S. scripturae luculentissimum nostram comprobet hypothesin.

§. XXXII.

Quod ad primum attinet argumentum, omnis res in vado est. *Comma quintum Genes. IX.* indicat Deum non solum ab homine, *sed & ab omni bestia* requirere velle hominis animam, quae verba, nisi me omnia fallunt, non legem positiuam vniuersalem magistratui praescribunt vt abscisse poenam gladii tum bestiis tum hominibus, homicidium committentibus, irroget, sed aperte indicant Deum judicio occulto fore vltorem, ita vt homicida, qui a poena humana immunis fuerit, violenta morte, judicio Dei occulto, perimatur. Huius iudicii occulti continuatio & explicatio sequitur *commate sexto: Qui effundit sanguinem hominis, illius sanguis fundetur per hominem.* Intuitu ergo hominis, homicidium committentis, declaratum est Dei iudicium occultum hoc *commate sexto*, quod *commate antecedente* paullo obscurius enunciatum erat; qua ratione autem Deus bestias, hominem occidentes, punire velit, expressis verbis non expossuit Deus, sed ad ignorantiam doctam referendum est. Commate septimo pergit Deus: *Vos autem crescite & multiplicamini* &c. quae verba, tanquam appendix commatis sexti, imperatiui sunt modi, & tamen in eis non agnoscunt Doctores legem vniuersalem posi-

positiuam, quum tamen cum antecedentibus optime cohaereant; nescio ergo qui fieri potuerit, vt tantum in commate sexto eiusmodi legem inuenire voluerint.

§. XXXIII.

Nostrae hypothesi subscribit quoque primitiua ecclesia, id quod sequentibus argumentis, erudite, prout solet, comprobauit Ill. Boehmervs *Ius. Eccl. prot. lib. 5. tit. 12. §. 2. sqq.* 1) *Christianos primaeuos ab omni iudicio sanguinis in quibuscunque delictis abhorruisse;* 2) *licet sub Christianis imperatoribus poenas capitales non prorsus reprobauerint, sui tamen officii esse, arbitratos episcopos, pro damnatis ad mortem, etiam caede illicita infectis, intercedere, & poenam sanguinis deprecari;* 3) *ea de caussa quoque homicidis ecclesias patuisse, in quibus patres illis quoddam sacrum refugium praebuerint;* 4) *inhabiles iudicatos fuisse, qui ad clericatum sumerentur, qui iudicio sanguinis etiam in caussa homicidii interfuerant;* 5) *leges pecuniarias poenas homicidis statuentes per decreta patrum in conciliis non reprobatas sed adprobatas fuisse;* 6) *clericos homicidas poenis capitalibus non subiectos, nec creditum fuisse, eos necessario degradandos, quo poenis iure diuino constitutis subderentur.* Has propositiones latius deduxit Ill. Boehmervs *c. l.* quae omnes ex vno eodemque fonte: *ecclesia non sitit sanguinem* propullularunt, indicantes, poenam capitalem in homicida iuris aeterni non

esse, & THOMASIVM *in diss. cit.* male ex doctrina patrum & iure canonico deducere dogma de indispensabili capitis poena in homicidio.

§. XXXIV.

Praeterea tempore Noachi nulla respublica, nullus magistratus in Noachi familia erat, ergo magistratui politico lex praescribi non potuit, nullius enim entis nullae sunt affectiones. Obuertit quidem ALBERT. ZVM FELDE *in polit. sacra sect. 2. c. 2. §. 26. lit. a. verba legis generalia ius talionis comprehendere: quod apud plurimas gentes valuit, & occisi agnatis libertatem fecit vindictae. Et nonne*, pergit ille, *in ipsa Republica Israelis agnatis id concessum erat? Potuit itaque sine plena iurisdictione imperantis finis legis obtineri: nec opus est vt addam, imperiorum mox post diluuium initium factum esse.* At haec responsio nostrae hypothesi non contradicit, numquam enim negauimus Deum agnatis occisi permisisse ius talionis, quum optime sciuerit, illos necem agnati aegre ferre & tristi recordatione interemti inductos quacunque ratione vlcisci velle, praesertim quum iudicium Dei occultum non excludat ius talionis. Ex his omnibus legitime consequitur, vt permiserit Deus agnatis occisi libertatem vindictae, minime autem praeceperit vt abscisse vterentur talionis iure, siquidem illis integrum erat vtrum vindicta hac vti vellent, nec ne. Probe ergo permis-

sio

sio vindictae distingui debet a lege positiua vniuersali. Neque dissentientes iuuat, quod imperiorum mox post diluuium initium factum fuerit, nos enim non loquimur de lege positiua vniuersali, quae, rebus publicis postea existentibus, dari potuerit, siquidem hoc petitionem principii inuoluit, & merito negamus haec verba legem positiuam prae se ferre; sed tantum quaeritur vtrum lex ante reipublicae alicuius existentiam magistratui praescribi potuerit? id quod nemo adfirmabit.

§. XXXV.

Accedit denique luculentissimum exemplum, quod habetur *Genes. XXXIV.* quod pro nostra militat sententia. Sichem nobilis iuuenis deperdite amabat Dinam Iacobi filiam, quam compressérat, & loco satisfactionis in matrimonium hanc stupratam sibi dari expetebat, dicens patri puellae & fratribus eius: *Inueniam gratiam in oculis vestris; & quod mihi indixeritis dabo. Quamuis magnam valde imponite mihi dotem soluendam, & donum, & dabo prout indixeritis mihi, tantum date mihi puellam ipsam in vxorem.* Nihil amplius a Sichemo, ad debitam satisfactionem paratissimo, desiderari poterat. At Simeon & Leui Iehakobi filii fraudulenter respondebant, se hac satisfactione esse contentos, si modo omnis mas in Chamori ciuitate circumcideretur. Non distulit adolescens circumcisionem, quia

damnabat filiam Iehakobi, immo ciuibus suis commendabat Iehakobi familiam de meliori nota, & eos eo adigebat suis persuasionibus, vt circumcisioni se subiicerent. Tertio autem die, quando grauissimus vulnerum dolor est, ingrediebantur filii Iehakobi Simeon & Leui vrbem, & interficiebant omnes masculos etiam eos, qui nunquam Iehakobi familiam violauerant. Praemeditatum & dolosum sane hoc erat homicidium, nulla ratione, consideratis omnibus circumstantiis, excusandum, praesertim quum hi miseri homines etiam innocentes sub specie amicitiae & religionis essent decepti. Iehakobus procul omni dubio sciuit verba *Genes. IX. 6.* a Deo prolata, & haec verba si haberent vim legis positiuae vniuersalis, Iehakobus filios suos ob nefandum scelus omnino, audiens semper dicto diuino, ad poenam capitis damnauisset, exemplo aui sui edoctus, qui iubente Deo filium suum, eumque vnicum, in holocaustum Deo offerre non dubitauerat. At Iehakobus eiusmodi legis vniuersalis nullam facit mentionem, sed tantum grauiter increpat filios suos homicidas; damnat ipsorum arma cruenta; ipsorum aestum maledictum esse ait *Genes. XLIX.*; immo nuntium mittit his filiis suis, quia in furore suo occiderunt innocentes Sichimitas. Interim Iehakobus veretur tantum ne incolae regionis iure talionis vtantur, probe sciens in hoc quoque iudicium Dei occultum, de quo *Genes. IX. 6.* agitur, con-

consistere. Notanda praeterea sunt verba *capitis XXXV. 5. Genes. nam inerat terror Dei ciuitatibus illis quae circumstabant ipsos, adeo vt non persequerentur abeuntes filios Iehakobi*; quae aperte indicant iudicium Dei occultum in iure talionis permisso latere, immo ex illis prono sequitur alueo vt non absolutae necessitatis sit homicidas iudicio Dei occulto per alios homines interfici.

§. XXXVI.

Neque obstat quod Deus hac ratione adprobare velle videatur delicta, quum & ille alter priorem homicidam interficiens nouum delictum committat; ad hanc enim obiectionem, quam Thomasius c. l. proposuit, falsse respondet: hoc suppositum ex iudicio Dei occulto non sequi, quum Deus alterum homicidium non praecipiat sed saltem permittat. Et non magis, pergit ille, istud suppositum in nostra expositione est necessarium, quam in genere in aliis iudiciis Dei occultis, vbi adulter adulterio, fur furto, periurus periurio, frequentissime puniuntur.

§. XXXVII.

Nostrae hypothesi Kippingivs *in spec. error. comm. in iure p. 81.* inprimis opponit verba *Genes. IX. 6. quoniam ad imaginem suam hominem fecit Deus.* Ex his verbis sequentem in modum argumentatur: *vbi ratio legis est positiua, lex ipsa est positiua, atqui ratio legis,*

quia eam plane ignorat ratio, positiua est, ergo lex quoque positiua est. At pace viri Illustris dictum sit, quod in hoc argumento lateat petitio principii, nos enim negamus homicidam ex *lege positiua* capitis damnandum esse; vbi autem lex deficit, ibi quoque ratio legis adesse nequit. THOMASIVS quoque l. c. falsе ad hanc respondet obiectionem: aliud esse propositionem vniuersalem, aliud praeceptum vniuersale, & propositionem vniuersalem manere, licet nostra interpretatio habeat locum. Praetaerea multis modis homo, qui ad imaginem Dei creatus est, violari potest, & haec ratio si inuolueret legem vniuersalem, quaelibet violatio hominum iure talionis absolute punienda esset, id quod nemo adfirmauerit vnquam. Aperte igitur haec adiecta ratio ostendit Deum, mediante iudicio occulto, vltorem fore, non solum intuitu homicidii sed cuiuscunque delicti, *Commate cit. 6.* expressis tamen verbis declarauit qua ratione instituere velit iudicium occultum, id quod in reliquis ignoramus delictis.

§. XXXVIII.

In nostram quoque pedibus iuit sententiam D. IOH. HENICHIVS insignis ille theologus, qui in consilio quodam theologico homicidae dato, & a THOMASIO in calce *diss. cit.* publicato, scite ait: *Sed nec iure diuino voluntario est praeceptum, vt a magistratu Christiano*

stiano ad mortem rapiatur homicida. Nam leges positiuae veteris testamenti christianos Principes neutiquam obligant, alioquin iidem adhuc legem de necandis adulteris vbique tenerentur obseruare. Data quidem est statim post diluuium Noae lex, vt eius, qui sanguinem humanum effudit, sanguis vicissim effundatur. At haec quoque fuit non nisi lex positiua quaepiam, nostra tempora minime concernens. Nimirum cum iam ante diluuium gigantum aetate promiscua inualuisset caedium licentia, instaurato, post diluuium, humano genere, ne mos idem inualesceret, tam seuere Deus homicidium puniri mandavit. Nulla autem prorsus est consequentia: Deus ob certam causam post diluuium Genes. IX. mandauit, vt homicida capite plecteretur, ergo magistratus hodiéque tenetur, tam graui poena homicidam interficere. Non sequitur, inquam, praesertim, si adpareat, homicidam non obscura poenitentiae documenta edere, & in promtu sit aliud remedium, quo a delinquendo homines absterreri possint. Eodem Geneseos capite comestio sanguinis prohibetur, quae hodie tamen omnino est licita. Non itaque omne, quod capite hoc IX. prohibetur iure perpetuo & immutabili prohibetur. Ex alio quidem fundamento non agnoscit HENICHIVS legem vniuersalem in verbis saepius citatis, at nostrae quum in hoc passu accedat sententiae, reliquas ipsius propositiones, a nobis alienas, haud investigemus. Sufficit nostram hypothesin stare inconcussam.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Neque dissentientes recte opponunt mandatum diuinum quod *Exod. XXI. 12. 14. Leuit. XXIV. 17. Num. XXXV. 16. vsque 33.* habetur, siquidem haec verba, quod omnes fateri oportet, aperte loquuntur de lege forensi Judaica, quae apud Christianos nullam plane inducit obligationem; sibimetipsis ergo imponunt, qui suam opinionem in legibus, a foro christiano alienis, stabilire non erubescunt.

§. XL.

Praeterea falsum est Christum *Matth. XXVI. 52.* & Johannem *Apoc. XIII. 10*, ad verba *Genes. IX. 6.* tanquam *ad legem universalem positiuam* prouocasse, quod enim Christus allegauerit vel potius respexerit ad verba *Genes. IX*, ex eo lex positiua vniuersalis non inducitur; sed si legem positiuam, ante rempublicam Judaeorum latam, in nouo foedere repetiit, tunc demum eam tanquam vniuersalem agnoscimus. Mascule vero negatur, verba *Genes. IX.* pro lege positiua esse habenda, quippe quae iudicium Dei occultum potius, secundum ea quae supra sunt dicta, includunt. Praeterea ea, quae habentur verba *Matth. XXVI. 52.* πάντες γαρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολῶνται, optime declarant, propositionem *Genes. IX. 6.*, ad quam respiciunt, significationem impera-

peratiui modi aut legis positiuae habere non posse, siquidem vocula ἀπολῦσαι aperte, tanquam tempus futurum indicat, verba legis dispositiua neutiquam hic haberi, alioquin Christus procul omni dubitatione, mentem veteris testamenti optime semper declarans, non *futuro* sed *imperativo* vsus fuisset. Huic sententiae quidem obstare videtur effatum, Iohannis *Apocal. XIII. 10.* εἴ τις ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτενεῖ, δεῖ αὐτὸν μαχαίρᾳ ἀποκτανθῆναι, sed vocula δεῖ legem non inuoluit, id quod ex antecedentibus & consequentibus huius loci luculenter adparet. En verba D. Iohn. Henichii *in consil. theol. cit. Ex nouo testamento afferri cum primis solet illud Apoc. XIII. qui* gladio occidit, eum gladio occidi oportet. *Verum ne hic locus probare est idoneus sententiam, quam nos impugnatam imus. Agit enim ibi Apostolus, commendaturus, de persecutoribus ecclesiae, & docet, eos grauissimas poenas Deo daturos, ipsumque seuere vindicaturum illatas piis iniurias. Hinc subiicit:* In hoc posita est spes & patientia Sanctorum. *Ad eundem modum intelligi oportet, quod Christus Petro ait Matth. XXVI. 52.* Conuerte gladium in vaginam; nam qui gladium sumserit, gladio peribit. *Recte enim verba haec sic exponit Hugo Grotius: Noli Petre, consideratione eius, quod mihi infertur, iniuriae concitatior Deo praeripere vltionem, leuia enim sunt vulnera, quae a te pati possunt. Stat enim rata sententia, crudeles istos & sanguinarios, etiam*

etiam te quiescente, grauissimas Deo daturos poenas suo sanguine. Adducit praeterea TERTVLLIANVM consentientem, & AVGVSTINVM *Epist. 158.* monentem Donatistas, qui trucidarant Presbyteros, citra mortis poenam castigandos esse. Eiusdem quoque sententiae est D. PHIL. LVDOVICI HANNEKENIVS insignis ille Theologus Wittebergensis *de iure gratiae Principis Christiani in reos noxae capitalis.* Accedit denique quod verba immediate antecedentia *Apoc. XIII. 10: Si quis in captiuitatem agit: in captiuitatem abit*, pro lege vniuersali positiua quoque habenda essent, si verba citata, immediate subsequentia, ita explicari deberent. Qui vero priora verba in hunc sensum traheret, scio neminem. Ex his omnibus igitur recte consequitur, vt loca, tum ex veteri tum ex nouo testamento adducta, legis positiuae significationem habere non possint, sed iudicium Dei occultum aperte denotent.

§. XLI.

Restat alius scrupulus, qui a nobis est remouendus. Diximus supra Iehakobi filios innocentes Sichimitas dolose occidisse, & Iehakobum filios suos neque ad capitis poenam damnasse, neque dixisse saltem ipsos capitis esse reos, sed tantum veritum fuisse, ne incolae regionis se congregarent & iure talionis vterentur. At quispiam obiicere posset, ex his omnibus minime sequi, vt

de

de lege vniuersali positiua circa homicidium lata dubitandum, nedum illa neganda sit, quia Davides optime sciuisset, legem mosaicam *Exod, XXI. Levit. XXIV. & Num. XXXV.* absolute dictare poenam capitis, & tamen filio suo Abschalomo condonauisset vitam contra claras legis forensis iudaicae dispositiones, probe ergo distingui debere inter id quod fiat de facto & de iure. Responsionem cape. Recte ex mente THOMASII *diss. cit. c. 4. §. 5.* duo casus, alter fictus a muliere Thecoensi, alter verus, occurrunt, *II. Sam. XIV.*, qui probe a se inuicem separandi sunt. *Homicidium dolosum seu voluntarium*, pergit THOMASIVS, *duplex est, vel* SVBITANEVM *quod in rixa, non, vel parum, praemeditata contingit, vel* INSIDIOSVM. *Legem Mosaicam ad hoc vltimum pertinere declarant versiculi statim subsequentes, scilicet V. 13. & 14. Exod. XXI.* Si quis tamen non quaesiuerit, sed Deus ipse obiecerit manui eius, constituam tibi locum quo ille confugiat. *Et insuper etiam illustratur argumento casus ficti a femina Thecoensi Dauidi propositi 2. Sam. XIV. 5-8, vbi David secundum, non contra legem mosaicam vitam condonabat fratricidae, secundum obseruationem nostram.*

Neque enim rem magis explicant, quam implicant, triplices responsiones GROTII, VATABLI & CAIETANI *ad illum locum.* CAIETANVS *vult legem mosaicam capitalem poenam dictare homicidio voluntario, non repentino & casuali*

suali. Sed hic inconuenienter opponit repentinum voluntario, cum potius repentinum sit species voluntarii, & illi opponatur deliberatum seu insidiosum altera voluntarii homicidii species. Ergo & eadem inconvenientia palpabilis subest, dum repentinum homicidium & casuale habet pro synonomis. Frigidior est responsio Vatabli, excusantis Dauidem, quia lex Deuter. XVII. 6. jubeat, ne quis occidatur, nisi duobus testibus conuictus, in illo vero casu fuisse fratricidium secretum. Quis enim hanc circumstantiam Vatablo reuelauit, decepto haud dubie, quod ibi narretur homicidium in campo factum esse, nemine praesente, qui istud impedire potuerit. At debuisset cogitare Vatablus, quod testes duo adesse potuerint, homicidium videntes, etsi non fuerint ita propinqui, vt impedire id potuerint. Deinde praeceptum de duobus testibus non excludit alia probationis media per confessionem rei, aut alia, quae artificialia vocant ICti, argumento Ios. VII. 20. Et, si fuisset secretum fratricidium, femina Thekoëna eo casu non fuisset vsa, tanquam parum pertinente ad scopum eius, cum Absolonis factum haberet multos testes. Denique si Grotii ea est sententia, quasi Dauid hic praecipitanter responderit foeminae, non sumto spatio ad legem recogitandam, atque foeminae id promisisset, quod in ipsius arbitrio non erat, sed pertineret ad potestatem Senatus vel Synedrii, valde quid humani hic passus est vir alias summus. Istud enim assertum de praecipitata responsione regis repugnat circumstantiis historicis,

2. Sam.

2. Sam. XIV. 8. 10. 11. recensitis, nec praesumendum est, regem tam sapientem aliquid promisisse, quod non esset in sua potestate, praeprimis quum iterum in contrarium ducant ipsius facti circumstantiae, praeprimis v. 11. ibid.; & falsum esse, quod sub regibus Iudaicis Synedrium habuerit potestatem inuito rege vel condemnandi vel absoluendi, sed tum apud regem fuisse ius vitae & necis, satis docuit doctissimus Seldenus lib. 2. cap. 14. p. 922. 924. Posterius fratricidium, ab Abschalomo perpetratum, quod attinet, id maxime, pergit THOMASIVS c. l. cap. seq. §. 3. ad praesens caput pertinet, & omnino sub lege mosaica comprehenditur. Erat enim homicidium deliberatum & insidiosum, quam maxime ullum aliud. Et tamen Dauid, vir secundum cor Dei non haesitabat, ad intercessionem feminae illius & Ioabi eius poenam condonare filio. Et quamuis alias Dauid, si contra mandatum diuinum quid turpiter fecisset, correptus fuerit a prophetis, & etiam punitus a Deo, tamen ob hoc factum ne quidem vlla admonitio ipsi a prophetis facta est. Quod argumentum valde auget verisimilitudinem responsionum nostrarum, quod leges affirmatiuae, etiam diuinae, non tollant ius aggratiandi.

§. XLII.

Hactenus verba THOMASII, quae tantummodo probabilitate nituntur, nec dubium nostrum supra allatum remouere possunt, quum in vado sit, legem certissimam *Exod. XXI. Leu. XXIV, & Num. XXXV.* a Deo

latam extare. Praeterea obuerti posset, non omnia Davidis peccata in sacro codice esse enarrata, nec Davidem ob quaeuis delicta a Prophetis fuisse admonitum; immo obuerti posset, a silentio sacrae scripturae non valere consequentiam ad negationem rei, quum claris verbis lex Iudaeorum forensis dictaret homicidae poenam capitalem, quam sanctionem poenalem, quia Deus, tanquam Rex Israelitarum, eius auctor esset, nemo mortalium infringere posset. Haec dubia vexant THOMASII, quam de fratricidio Absscholomi fouet, sententiam; alia ergo incedamus via, haud admittentes ALBERTI ZVM FELDE opinionem *in polit. sacra c. 2. §. 2. lit. a* dicentis: Dauidem poena mortis ideo non affeciſſe Absolomum, quia fuga sibi consuluisset; *ita enim*, pergit ipse, *moris esse solet vt a poena corpori infligenda liberi sint, qui fuga sibi consuluerunt.* Vera quidem est de absentis immunitate haec sententia iuxta tritum illud: Man hängt niemand man habe ihn denn; at de eo non quaeritur, quamobrem Dauid filium suum fratricidam absentem capitis haud damnauerit, sed cardo controuersiae in eo vertitur, vtrum Dauid, saluis legibus Iudaeorum forensibus, ab ipso Deo latis, Absscholomo, ex Regis decreto gratioso domum reuerso, veniam licite dare potuerit, nec ne? Ex ipsis legibus diuinis hoc diiudicandum erit. Faciamus ergo periculum.

§. XLIII.

§. XLIII.

Ante omnia notandum est, Iudaeos nunc & olim verba legum suarum secundum literam primario intellexisse, eaque fini semper Deum in omnibus sanctionibus fere omnes casus, quos sub lege comprehendi voluerit, enarrauisse, neque ad subtiles philosophorum nostrorum distinctiones respexisse, nisi ratio, ex ipsis legibus immediate proficiscens, extensionem ad alios quoque casus similes, sub legibus comprehensos, admiserit. Legitur *Exod. XXI. 12. 13. Qui percutit quemquam ita vt moriatur, omnino morte plectitor. Quum, autem quis volens & callide machinatur proximo suo necem, ab altari meo euelles eum vt moriatur. Leuit. XXIV. 17. Item quum quis percusserit vllam animam hominis, omnino morte afficitor.* Ex his verbis, aeque vt ex omnibus casibus, *Num. XXXV. 16. sqq.* enarratis, luculenter adparet, quod is tantum occisor poena mortis afficiendus sit, qui ipse, tanquam caussa physica, dolose proximum vita priuauit; adeoque ille, qui tanquam sola caussa moralis, vt dicere solemus, per alium curauit hominem interfici, a poena mortis liber esse debeat. Neque obstat, quod legitur *2. Sam. XII. 9. Vriam Etheum percussisti gladio - - & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon.* Haec enim verba tantum indicant, quod in caussa morali, aeque ac in physica, verum lateat homicidium, moraliter consideratum, id quod nunquam negauimus; at

de eo quaestio est, vtrum cum caussa morali absolute coniuncta fuerit poena mortis in lege mosaica, & quidem in casibus non expressis? id quod merito, ob allata argumenta, negamus.

§. XLIV.

Haec si recte pensitaueris, facili negotio rationem inuenies, quare Dauid poenam vltimi supplicii haud dictauerit filio, vel, vt rectius dicam, secundum legem mosaicam dictare non potuerit, quum Abscholomus ipse non interfecerat Ammonem, sed hoc negotium pueris suis mandauerat. Confirmari potest haec explicatio 1) quod Deus multos casus *Exod. XXI. Leu. XXIV. & Num. XXXV.* enarrauerit, qui poenam mortis merentur, inter illos vero imprimis eiusmodi casus, qui caussam physicam praesupponunt, recenset, & de eo casu mentionem non facit, qui tantum in caussa morali fundatus est, si modo exceperis vnicam legem *Exod. XXI. 29.*, quae dominum bouis, qui pauperiem fecit in homine libero occidendo, capitis damnat, hac tamen lege atque conditione, si bos olim cornupeta fuerit, & dominus bouis, de hoc vitio monitus, eum non recluserit. Specialis sane haec fuit lex Iudaeorum forensis, quae sine dubio eam ob caussam lata fuerit, quod saepissime boues cornu petentes occiderint homines. Interim haec lex tanquam exceptio a regula considerari debet, id quod potissimum ex

sequen-

sequentibus verbis cognosci potest; siquidem domino bouis non absolute, vti in praecedentibus casibus, caussam physicam praesupponentibus, poena mortis dictatur, sed probe haec additur limitatio: *Quod si pretium ei fuerit impositum; dabit pro animæ sua, quidquid postulatum fuerit.* Magis itaque haec dispositio, si verba, quae habentur *Num. XXXV. 31.* pensitaueris, nostram tuetur hypothesin, praesertim quum nostrae sententiae 2) subscribat diuturna Iudaeorum praxis forensis, quae optime cognosci potest ex *capite IX. tractatus de Synedrio*, qui habetur in *Mischna*: Inter alios enim casus ibidem legitur:

שוסה בו את הכלב בעוו

qui concitauit canem in hominem, & homo moritur, is a poena capitali immunis est. Mischna l. c. aperte loquitur de homicidio voluntario, adeoque opponi non potest, praxin Iudaeorum forensem de voluntate indirecta forsan intelligendam hic esse. Neque 3) alia ratio adaequata dari potest., quamobrem Abschalomus, qui tamen in sorore sua Thamar magnopere laesus erat, & magno irarum iustarum fluctuabat aestu, non ipse percusserit Ammonem, sed pueris suis praeceperit, vt eum morte afficerent. 4) Thomasii argumentum in nostrum vsum maiori iure conuertimus, partim quod Dauides filium a poena capitis non liberauisset, nisi sciuisset, legem mosaicam in hoc casu adplicationem

nem perdere; partim quod mulier Thecoënsis cum delicto Abschalomi eiusmodi casum fictum coniunxerit, qui lege mosaica a poena capitali *Exod. XXI. 13. 14.* exemtus erat.

§. XLV.

Quum ergo, his praesuppositis, non contra, sed secundum legem mosaicam, cessaret gladii poena in Abschalomo, facile patet, Dauidem ea propter a Deo reprehendi non potuisse, & ab hoc casu non valere consequentiam ad homicidium, ab ipsis Iehakobi filiis dolose perpetratum, sed nostrum argumentum, supra propositum, inconcussum manere, quod nimirum *Genes. IX.* nulla lex positiua vniuersalis habeatur, quia Iehakobi filii propter homicidium dolosum & insidiosum capitaliter non sunt puniti.

§. XLVI.

Praeterea, si vel maxime dissentientes suam corroborare possent sententiam, quod lex mosaica quemcunque homicidam, siue considerandus sit tamquam causa physica, siue tanquam causa moralis, poena gladii afficere iubeat, attamen a casu Abschalomi concludi non potest ad Sichimitas dolose interfectos. Nam lex mosaica aperte dictitat poenam capitalem, neque negandum est *Exod. Leuit. & Num. l. c.* legem positiuam particularem inueniri, adeoque, si dissentientium

tientium hypothesis in aprico esset, omnino Dauides contra legem positiuam dispensandi iure vsus fuisset, non obstante, quod Dauides a Deo in sacris literis haud reprehensus legatur; at ea ratione calculus minime subducendus est in homicidio a Iehakobi filiis dolose commisso, siquidem in contrarias partes euntes ex concessis falso creditis argumentantur, rati, *Genes. IX.* legem positiuam vniuersalem exstare. Postulatum hoc nunquam concessimus, adeoque ante omnia dissentientibus probatio, omni carens dubio, incumbit, haec verba absolute speciem legis vniuersalis positiuae prae se ferre. Hoc, id quod tamen impossibile est, si factum fuerit, quam lubentissime concedemus, ab eo, quod Iehakobi filii poena gladii non interemti, aut saltem hac poena, proprie sic dicta, digni fuerint iudicati in sacris literis, non valere consequentiam ad negationem legis positiuae vniuersalis Noacho promulgatae.

§. XLVII.

Sufficit igitur hisce argumentis, iisque firmissimis, probasse, verba *Genes. IX. 6.* non legem positiuam vniuersalem, sed iudicium Dei occultum in se continere, & Principes iure aggratiandi in homicidio dolose, grauissimis tamen cauſſis, propter reipublicae salutem, suadentibus, priuari non posse.

§. XLVIII.

Tandem coronidis loco adponere liceat responsum facultatis Iuridicae Hallensis mense Iulio 1708, quod THOMASIVS *in diss. saepenumero cit.* in calce publicauit.

P. P. *Als derselbe uns die wieder den Hauptmann* V. H. *von* B. *wegen begangener Entleibung an den* Lieutenant *von* K. *ergangene* inquisitions Acten *in dreyen* voluminibus *und einer Frage zugeschickt &c. Demnach &c.*

Hat der Hauptmann V. H. *von* B *den Lieutenant von* K. *in einem* duell *entleibet, worauf jenem, durch ein zu Leipzig gesprochenes Urtheil die Straffe des Schwerdtes zu erkennet worden; hat besagter von* B. *Seine Hochfürstliche Durchlauchtigkeit zu* A. *beweglich angesucht, die ihm zuerkandte Todes-Straffe in eine Geld-Busse zu verwandelen, und es will derselbe berichtet seyn, ob Seiner Hochfürstlichen Durchlauchtigkeit* in hoc casu *das* jus aggratiandi *zukomme?*

Ob nun wohl die fast allgemeine Meynung derer Rechts-Gelehrten dahin zielet, dass in denen delictis, *denen in heiliger Schrifft die Todes-Straffe zuerkennet worden, absonderlich aber in den Todt-*

Todtschlage, keine weltliche Obrigkeit Macht habe, die Todes-Straffe zu erlassen, oder in eine geringere zu verwandlen, zumahl da der allerhöchste GOtt nicht nur alsbald nach der Sünd-Fluth dem Noa *und seinen Nachkommen, das allgemeine Gesetz* publicirt: *Wer Menschen-Blut vergeust, des Blut soll wieder vergossen werden,*

Genes. 9. v. 6.

sondern auch dieses hernach durch Mosen in der Israelitischen Republique *wiederholet,*

Exod. XXI. 12.

und ausdrücklich verbiethen lassen, dass man keine Geld-Straffe von dem Todtschläger nehmen soll, sondern dass das durch vergossenes Menschen-Blut verunreinigte Land, wiederum durch vergiessung des Bluts des Todtschlägers versühnet werden müsse

Numer. XXXV. 31. 33.

und wenn gleich einige von denen Evangelischen Theologen *ausgeführet, dass eine Christliche Obrigkeit die einem Todtschläger* dictirte *Todes-Straffe in eine geringere verwandeln, oder gar*

auffheben könne, sie dennoch solche nur auf denienigen casum restringiret, wenn der Todtschläger seine That hertzlich bereuet, und signa verae & seriae poenitentiae gegeben.

D. Phil. Ludov. Hannekenius integro tract. de iure gratiae Princip. Christiani.

welches aber auf gegenwärtigen Fall nicht wohl scheinet applicirt zu werden können, indem aus denen übersendeten actis nirgend zu sehen, dass der von B. hertzliche Reue und Leydt über den begangenen Todtschlage bezeuget, sondern vielmehr zwar der Meinung ist, dass er nicht vor einen vorsetzlichen Todtschläger zu halten sey, iedennoch aber seine dissfalls angeführten Gründe in der sententia Dmn. Scabinorum Lipsiensium gnugsahm abgelehnet worden, er auch sich nicht getrauet, die ihm anderwerts nachgelassene defension zu führen, sondern sich lediglich Seiner Hochfürstlichen Durchlauchtigkeit Gnade submittiret, und 200. Dhlr. ad pios vsus zu geben erbothen.

Dieweil aber dennoch bewehrter Evangelischer ICtorum und Theologorum

rum *Meynung für gegründeter zu achten, daß* lex diuina naturalis & vniuersalis *zwar dieses befehle*, quod delinquentes puniendi sint, *die* determination *aber aller Straffen auch in denen* delictis contra ius naturae, *ia auch in* homicidio doloso *dem* arbitrio *weltlicher Obrigkeit heimzulaßen sey*,

Casp. Ziegler de iurib. maiest. l. 1. c. 5. §. 56.

D. Hannek. d. tract. c. vlt. §. 5. n. 7. vers. Inde perperam sentire &c. & n. 6. verbis: lege forensi Iudaeorum constitut.

und also ad leges positiuas humanas *gehöre, in welchen unstreitig aller weltlichen Obrigkeit, vielmehr aber einem Christlichen Fürsten das* ius aggratiandi *zustehe: ferner nach der bewehrtesten und ältesten Iudischen* Scribenten *Auslegungen, die im Gesetz vom Blut essen angehängte* commination, *wer Menschen-Blut vergeust, daß dessen Blut vvieder vergossen vverden soll*, pro lege proprie dicta *nicht zu halten ist.*

Seldenus de J. N. & G. sec. disciplin. hebr. l. 4. c. 1. p. 481.

und

und vvas hernach von der Straffe des Todtschlägers in dem Mosaischen Gesetz enthalten, nicht ad leges morales, sondern ad leges mosaicas forenses gehöret

D. Hannek. d. c. vlt. §. 5. n. 6.

vvelche bloß die Iuden, nicht aber die Christen im neuen Testament verbindet.

D. Chemnitius Loc. Theolog. loco de lege Dei. c. 4.

über dieses auch, so viel das Mosaische Gesetz selbst betrifft, daßelbe nicht dergestalt zu interpretiren, als vvenn auch denen Iudischen Obrigkeiten kein ius aggratiandi darüber zugestanden, sondern das praeceptum de puniendo capitaliter homicida pro naturali & indispensabili zu achten vväre, indem ia anfänglich GOtt selbst dem Cain die Todes Straffe erlassen

Genes. IV. 15.

D. Hannek. d. cap. vlt. §. 3.

cum tamen Deus circa ius naturale dispensare non possit; hernach aber quantum ad legem mosaicam nicht nur abermahls die Iudischen Rechts-Lehrer dahin zielen, daß dieses Gesetz nur dahin

hin sein Absehen richte, vvenn ein Iude, nicht aber, vvenn ein Proselyte *oder Heyde getödtet vvorden*

Seldenus d. l.

auch sonsten andern limitationibus *untervvorffen sey*

Seldenus ibid. p. 482.

sondern auch die heilige Schrifft selbst klar bezeuget, quod rigor legis mosaicae in nonnullis casibus moderationem accipiat, *in Betrachtung, vvenn ein Herr seinen Knecht umgebracht, und der Knecht nicht alsbald gestorben, der Herr gar mit keiner Straffe angesehen vvorden*

D. Hannekenius d. l. c. 3. §. 3.

da doch die leges diuinæ vniuersales *allen Menschen, und also auch denen Knechten zu gute kommen, und ferner, der Mann nach dem Hertzen Gottes Dauid, in dem ihme von der klugen Frauen zu Thekoa vorgetragenen* casu *das* ius aggratiandi *gegen einen vorsetzlichen Todtschläger, der seinen eigenen Bruder ermordet,* exerciret.

2. Sam. XIV. 10. 11.

und

und vveiter seinen Sohn Absalon, der gleichfals seinen Bruder Ammon dolose und mit Vorsatz umgebracht, eben dieses iuris aggratiandi genieſſen laſſen.

2. Sam. XIV. 21 & 33.

D. Hannek. d. l. c. 4. §. 3. in fin.

und der casus der klugen Frauen zu Thekoa, auf gegenvvärtigen Fall um so viel mehr zu appliciren ist, in Betrachtung der Hauptman von B. den Lieutenant von K. nicht hinterlistiger Weise, sondern gleichfals Mann für Mann in einem abgeredeten duell entleibet. In übrigen aber aus ervvehnten Exempeln deutlich zu sehen, daß die restrictio iuris aggratiandi in causa homicidii ad eum solum casum, vbi homicida seriam poenitentiam egerit, in heiliger Schrifft nicht gegründet sey, indem eines Theils Cain von GOtt selbst mitten in seiner Unbußfertigkeit und Verzvveiffelung an GOttes Gnade.

Genes. IV. 13. 14.

aggratiiret vvorden; anderes Theils in dem von der Frauen von Thekoa proponirten casu nichts von des Todtschlägers

gers Buße zu leſen, ſondern aus denen Umbſtänden vielmehr deßen Unbußfertigkeit praeſupponiret *vvorden*

2. Sam. XIV. 6. 7.

und endlich des pardonirten *Abſalons Unbußfertigkeit von heiliger Schrifft mit deutlichen Worten bemercket vvird,*

2, Sam. XV. 32. & tot. cap. ſeqq. XVI.

zugeſchvveigen, daß, ſo das ius aggratiandi *in dem Fall, vvenn der* delinquent *vvahre Hertzens-Buſſe gethan, ſtatt finden kan, ſolches vielmehr auch auf dieſen Fall zu* appliciren, *da derſelbe in ſeiner Unbußfertigkeit verharret, damit ihn die Zeit zur vvahren Reue und Bekehrung nicht abgeſchnitten, und er auf ſolche Weiſe nicht allein mit dem zeitlichen, ſondern zugleich mit dem evvigen Tode beſtrafft vverde. So erſcheinet daraus allenthalben ſo viel, daß Sr. Hochfürſtlichen Durchlauchtigkeit zu A. da nicht ſonſt etvvas bedencklichs im Wege ſtehen ſolte, dem Hauptmann von B. des gebethenen* iuris aggratiandi *genieſſen zu laſſen, vvohl befugt ſey. Er iſt aber auf ſolchen Fall vvegen der bey dieſer Sache vorkommenden ihn*

ſehr

sehr gravirenden Umständen, seinen Vermögen nach, auf 4 biß 5000. Rthlr. zu bestraffen. V. R. W.

§. XLIX.

Legem quoque vniuersalem positivam, eamque in praecepto *de non comedendo sanguine & suffocato, nec non carne cruda* quaerunt Doctores, propter *Genes. IX. 4. Leuit. III. 17. VII. 16. 17. XVII. 10. Deuteron. XII. 16.* & *Actor. XV. 20. 29.* & circa has dispositiones mirifice dissentiunt interpretes. Rationem horum praeceptorum in Zabiorum idololatria quaerit Ioh. Spencervs *de legib. hebr. ritual. L. 2. c. 1. sect. 1. & 2.*, nec, vt opinor, absque ratione. Erant Zabaei, vel Zabii ex mente Salmasii *Diatrib. de annis climacter. in praef.* Mesopotamiae populi, quos cum Chaldaeis coniunctim nominat Maimonides in *Moreh. Nebochim*; vel, adstipulante Spencero *c. l.* Arabes vulgares erant gentilissimi studiosissimi. Hi veteres idololatrae, vt gratiam & societatem cum Daemonibus inirent, animalis oblati sanguinem in vase vel fossula aliqua colligebant, & carnem mactatam circa fossam sedentes comedebant; imaginantes, sanguinem esse Daemonum cibum, & se ipsos communi quasi mensa cum Daemonibus vti, & ritu illorum familiaritatem & amicitiam quandam inter eos contrahi. Confer. Spencervs *c. l. p. 106*, qui teste Maimonide *in Moreh. Nebochim P. 3. c. 46.*, ita de

de Zabaeis sentit. Haec si conferantur cum iis, quae *Leuit. XIX. 26.* scripta sunt: *Ne comeditote* על הדם *ad* vel *apud sanguinem*, facile patet, legem de non comedendo sanguine ad enarratas gentilium idololatrias maximam partem respexisse. Alteram huius prohibitionis rationem SPENCERVS *c. l. Lib. I. c. 7. sect. 2.* in honore sanguini habendo quaerit, quod Deus sacratissimas expiandi partes sanguini concesserit, & Deo sacer esset, peculiariter altari suo reseruatus sanguis; non fuerit autem e dignitate rei Deo sacrae, vt Israëlitae eam deglutirent, quum nihil sit abiectius aut contemtius eo, quod in gulam, & tandem e stomacho in latrinam transit. Alii huius legis rationem in eo collocant, ne moribus essent Iudaei efferatis, & qui ora saepe sanguine belluino, manus tandem humano sanguine, cruentarent; cui ratiunculae non nulli addunt, quod sanguis concoctu sit difficilis, & nutrimentum praebeat crassum.

§. L.

In has rationes non inquiram, licet non negem SPENCERVM summa probabilitate niti; sufficit tamen nobis, hoc praeceptum, Iudaeorum genti a Mose publicatum, christianos obligare non posse, quum ad leges reipublicae Iudaicae proprias pertineat, & cum praecepto Noachi *Genes. IX. 4.* dato plane non conueniat; plerorumque enim doctorum sententiae nihil magis obstare existimo,

quam inconsiderata confusio legis mosaicae cum verbis *Genes. IX. 4.* extantibus; probe ergo haec duo a se inuicem sunt separanda.

§. LI.

Tradiderat Deus hominibus *Genes. IX. 2.* omnes bestias, volucres & pisces, immo ad comedendum etiam omne reptile, quod viuum est, illis dederat, addita tamen iuxta *comma 4.*, hac lege atque conditione: *ne comederent carnem cum sanguine ipsius.* Vtrum ante Noachum licuerit carne cuique vesci, nec ne? nostri instituti non est, sed tantum id obseruamus, haec verba non prohibere omnem carnis esum, sed eiusmodi tantum, quae in anima sui sanguinis sit; quam propositionem, auctore Alberto zvm Felde *in polit. sacra sect. 2. c. 2. §. 24. lit. a.*, sequentem in modum explicamus: *Deus noluit homines carnem comedere, ab animante quodam viuente sumtam, siue pars auulsa cruda sumatur, siue cocta. Sanguis esus non prohibetur, sed carnis cum sanguine: sanguis vero animantium mortuorum* נפש *eorum vocari nequit, cum cessante motu sanguinis & anima pereat. Obiicit quidem* Heideggervs *libert. christian. a lege cibaria veteri de sanguine & suffocato c. 4. §. 5. p. 48 homines sua sponte ab eo abstinere, neque opus adeo fuisse prohibitione. At vero Celeb. Vir ex suis & moratiorum moribus alios iudicauit, cum haec scriberet: non negat tamen id ab aliis factum esse & fieri a Canibalibus. Quod si vero*

id

id tempore Mosis non factum est, aut ante illius aetatem, id sufficere poterit, quod lex futuram crudelitatem prohibeat. Cur hoc crimen, non aliud prohibuerit, quod porro quaerit HEIDEGGERVS, ad sapientiam Dei pertinet, cuius causas inuestigare non semper possumus. Quod secundo loco cum Gerhardo nostro, aliisque vrget, idem hic prohiberi, quod Moses in vetitis reposuit, plane negamus. Nec tertia eius ratio vllam vim habet, cum non videam, quid caussae nostrae noceat, legem nullam nunquam repetitam esse, nec quenquam hominum notatum, propter eius praecepti transgressionem. Semel tantum rogata lex est, non ducendam esse sororem vxoris viuentis contra eius voluntatem, nec lego in Scriptura quenquam reprehensum esse, quod contrarium fecerit. Constat ergo satis superque praeceptum Noacho datum in moralitate fundatum, adeoque legem moralem, haud vero positiuam esse. Praeterea ex supra dictis prono fluit alueo, legem mosaicam *Leuit. III. 17. VII. 26. XVII. 10. & Deuteron. XII. 16. 23.* legem positiuam particularem esse & longe aliis rationibus niti; quibus ALBERT. ZVM FELDE *c. l.*, quia vnius rei plures possunt esse caussae, aliam, praeter supra enarratas, addit rationem, falsе dicens: *Ceterum viris doctis existimo nihil magis obstare, quam quod hanc legem* (Noacho datam) *eiusque caussam cum mosaica confundant: Quapropter & Gerhardus Comm. h. l. relictis Lutheri, Gesneri & aliorum vestigiis, negauit legem*

hanc vniuersalem, seu, vt ille loquitur, moralem esse. Attamen apud Mosen non sola haec ratio legis, Noacho datae, legitur, quod sanguinis motus constet in vita, sed & haec, quia sanguis altari destinatus sit, vt placarentur animae, quia sanguis vitae expiatio sit. Leuit. XVII. 11. Confer. Hebr. IX. 22. Quin & id curate obseruandum erit, prohiberi tantum sanguinem animantium, quae ad sacrificia destinata erant, Leuit. VII. 25. 26. Coll. III. 17. & quidem propter rationem typicam, & reuerentiam sanguini Christi antitypico debitam. Aliorum animantium auiumque sanguis effundendus erat, quia vita sanguinis motu constat. Leuit. XVII. 10. seq. cum de piscium tamen sanguine nulla vnquam facta sit mentio in legibus mosaicis. Haec, nisi me omnia fallunt, aperte docent, leges mosaicas, ex speciali ratione, ad Christianos minime adplicanda, latas, legibus positiuis vniuersalibus falso adnumerari.

§. LII.

Neque obstat quod Apostoli *Act. XV. 20.* scripserint ex gentibus conuersis, *vt abstinerent a pollutis per simulacra, & scortatione & suffocatis rebus & sanguine*; quum hoc factum sit, non vt legem vniuersalem in praeceptis mosaicis agnoscerent, sed Iudaei ne offenderentur, quippe qui legi mosaicae, qua imbuti erant, nuntium in totum mittere non poterant, haud capientes libertatem chri-

christianorum a praecepto mosaico de non comedendo sanguine prorsus alienam esse, id quod non solum antecedentia & consequentia dicti capituli XV. aperte indicant, sed & a viris doctissimis ad liquidum deductum est. Inprimis notandum est, fideles ex Iudaeis *Act. XV. 5.* circumcisionem in christiano desideraſſe, & Apostolum Paulum, licet cum ceteris Apostolis hoc iugum mosaicum improbauerit, nihilosecius Timotheum, ne fideles ex Iudaeis offenderet, circumcisioni subieciſſe *Act. XVI. 3.*, quae obseruatio aperte indicat, Apostolos, tantum propter scandalum, esum sanguinis & suffocati prohibuisse. Conf. *I. Cor. VIII. 9-13. X. 20. 25. 33.* Conf. Spencervs *de Leg. Hebr. ritual. lib. 2. c. 3. p. m. 449. sqq. in speciali diss. in Act. XV. 20.* Manet ergo legis moralis Noacho datae obligatio, quae crudelitatem ab omni humanitate alienam damnat ac prohibet, at legis mosaicae vigor, cessantibus rationibus, labefactus est hodienum, nec Apostolorum arbitrium christianos hodierni seculi stringit, nisi ad euitandum scandalum, ex moralitatis principio, a sanguine & suffocatis, interna obligatione inducti, abstineant. Sed quid opus est multis argumentis, quum ipse Ill. Kippingivs *in specim. error. comm. in iure p. 52.* leges vniuersales positiuas defendens alias, ingenue fateatur, Stephanvm Cvrcellaevm *de esu sanguinis* in eo errasse, quod statuat, legem de non comedendo sanguine hodienum

num nos obligare, & SPENCERO, negatiuam *in tr. de legib. hebr. ritual. p. 169. 377. 387. 594. 603.* propugnanti, quam lubentissime subscribat. Si vero, cessantibus rationibus, lex ipsa cessat, vniuersalis vel ob hanc rationem dici nequit, quum sub vniuersalitatis conceptu omnes homines comprehendi debeant, id quod eo magis dicendum est, quo certius constat, hanc legem nullibi expressis verbis abrogatam fuisse, sed ob cessantes rationes, Iudaeis proprias, hodienum omnem amisisse vigorem.

§. LIII.

Dispescit Ill. KIPPINGIVS *c. l. pag. 49.* leges positiuas vniversales in eas, quarum vis obligandi, ob cessantem rationem, cessauit, & eas, quae hodienum vigent. Ad leges prioris generis refert α) mandatum de non comedendo ex arbore vetita, β) de non comedendo suffocato, sanguine & carne cruda, γ) sacrificia, quibus cruentum supplicium pro generis humani flagitio olim publice sumendum adumbrabatur. *Leuit. XVI.* De duobus prioribus satis iam actum est, videamus ergo VI) quid sibi velint haec sacrificia. Res tota eo redit vtrum Adamo aut Noacho, totum genus humanum repraesentantibus, de sacrificiis peragendis lex a Deo data fuerit nec ne? In sacris literis de eiusmodi lege expressa nihil vnquam legimus; at dissentientes cum Ill. KIPPINGIO ab eo argumentum ducunt, quod Patriarcharum sacrificia Deo fuerint gratissima

ma, siquidem *Gen. IV.* 4. legimus: *Respexitque Iehoua ad Hebelum & ad munus eius*, nec non *Genes. VIII. 21*: *Quumque odoratus esset Iehoua odorem illum gratum* nempe holocausti a Noacho oblati. Negare non possum, quod hoc argumentum non sit tanti roboris, vt Ill. KIPPINGIO & asseclis subscriberem, quum ex mente BVDDEI *hist. eccl. V. T. Per. I. sect. I. p.* 144. haec consequentia Ill. KIPPINGII ne somniando quidem alicui in mentem venire possit. Nascentis mundi incolae sancta simplicitate colebant Deum, &, quum signa honoris & reuerentiae apud omnes gentes arbitraria sint, hi quoque Patriarchae animi deuoti documenta pro arbitrio edebant, rati, Deo gratissimum fore, si eiusmodi res Deo offerrent, quae maxime erant in pretio & hominum vsui & necessitati accommodatae. Deus itaque abscisse non respexit, in primordiis huius vniuersi, & tempore Noae, ad sacrificia, tanquam ad speciem cultus diuini absolute necessariam, sed potius perspexit quo animo & qua intentione sacrificia essent oblata, id quod luculenter adparet ex verbis *Genes. IV. 5. Ad Cainum vero & ad munus eius non respexit.* Conf. *Ebr. XI.* 4. nec non BVDDAEVS *in hist. Eccl. V. T. Per. I. sect. I. §. 31. p.* 147. Ex hoc mere voluntario modo Deum colendi lex vniuersalis positiua nasci non potest, alias ritus ille veterum decantatus inungendi lapides, de quo *Genes. XXVIII. 18.* legimus, procul omni dubio in classem legum positiuarum

vniuersalium esset redigendus, vt reliqua fileam argumenta. Optime nostram sententiam illustrauit SPENCERVS *de legib. hebr. ritual. L. 3. c. 1. diss. 2. sect. 14. sqq.* multisque argumentis comprobauit, sacrificia sub initio huius vniuersi ad arbitrarium pertinuisse cultum diuinum. Quum tamen & posteri hoc modo Deum colendi vterentur, immo gentes abuterentur, Deus sapientissimo consilio Iudaeis, teste Mose, varia sacrificiorum genera distincte, tum quoad formam, tum quoad materiam, praescripsit, ne promiscue ethnicorum mores sequerentur, quae omnia tamen non ad legem vniuersalem sed particularem positiuam referenda, & ab arbitrario patriarcharum cultu probe secernenda sunt, si rotunda quadratis miscere recuses.

§. LIV.

Negandum quidem non est sacrificiorum finem fuisse duplicem, alterum *legalem*, alterum *euangelicum*, vt eminus ostenderent, ad Christi satisfactionem haec omnia respexisse, at typus eiusmodi nullum legis vniuersalis fundamentum praebere potest, ceteroqui Ionas, in visceribus magni illius piscis existens, suo exemplo legem positiuam vniuersalem edidisset, quum iuxta *Matth. XII. 40.* typus Christi, triduo sepulti, fuit; immo ex lege vniuersali positiua quilibet populus creare debuisset pontificem, qui semel quotannis ingrederetur in sacrosanctum tabernaculi, quum & hic ritus adumbrauit Christi pontificatum

Hebr.

Hebr. IX. 11. 12. Fuerunt ergo omnes hae leges, quas Moises de sacrificiis publicauit, leges positiuae particulares, ad statum Iudaicum tantum respicientes, quae sub nomine legum positiuarum vniuersalium venire non possunt. Praeterea ante rempublicam iudaicam neque Adamo, neque Noacho, totum genus humanum repraesentantibus, lex vlla vnquam de sacrificiis publicata fuit; neque sanctio aliqua poenalis ante rempublicam Iudaicam legitur; & in nouo testamento neque Christus neque Apostoli prouocarunt ad legem de sacrificiis latam, quin potius expressis verbis *Hebr. IX.* legitur, sacrificia in nouo foedere abrogata esse, quae omnia aperte docent, sacrificia, cuiuscunque sint generis, ad leges positiuas vniuersales haud pertinere.

§. LV.

Sequitur iuxta ordinem, quem supra elegimus, VII) praeceptum *de sanctificando Sabbatho.* Vario marte dimicarunt viri eruditione clarissimi, vtrum in hoc argumento lex moralis, an positiua vniuersalis, an particularis deprehendatur. Meo iudicio duae propositiones distinguendae sunt. Quod Deus sit colendus, nemo vnquam negabit, quae propositio ius morale in se continet omnino; quod vero hic cultus diuinus absciisse septimo die institui debeat, potius ex lege positiua particulari quam vniuersali descendit. Audiamus interim argumenta dissentientium, omni, nisi me omnia fallunt, valore destituta.

1) Aiunt

1) Aiunt, Deum *Genes. II. 2. 3.* post absolutum creationis opus septimo die quieuisse & eundem sanctificasse.

2) Prouocant ad verba *Exod. XX. 10. 11. & XXXI. 17.*

3) Fundant se in testimonio paganorum, quibus septimus dies sacer fuit, ex quo inferunt, huius diei cultum legis positiuae vniuersalis esse.

4) Pro sua sententia allegant verba Apostoli Pauli *ad Hebr. IV. 3. sqq.*

De singulis igitur sigillatim erit nobis dicendi locus.

§. LVI.

Inficias ire non possum, quod Deus, teste Mose *Genes. II. 2. & 3.*, quieuerit ipso die septimo ab omni opere suo, quod fecerat, & benedixerit diei septimo & sanctificauerit ipsum, quum in eo quieuisset ab omni opere suo, quod creauerat Deus, faciendo. At omnia haec a scriptore sacro narratiue, haud dispositiue relata sunt, & si lex esset narratio eius, quod factum est, tota historia creationis, ex eadem ratione, lex vniuersalis positiua dicenda esset. Confer. Albert. zvm Felde *in polit. sacra sect. 2. c. 2. §. 27. lit. a.* Omnis lex absolute requirit publicationem verbis *directis* factam, quibus opponuntur verba *enunciatiua* siue *narratiua*, legis vigorem non habentia; praeterea sanctio poenalis ad legis perfectae essentiam pertinet, quae duo necessaria requisita *Genes. II. 2. 3.* minime

nime occurrunt. Accedit quod nullibi legatur, Patriarchas ante legem mosaicam abscisse septimum diem cultui diuino dedicasse; a quo silentio Sacrae Scripturae probabiliter, si non vere, argumentamur, patriarchas in verbis *Genes. II. 2. 3.* nullam legem quaesiisse, nedum inuenisse; neque obstat BVDDEI *quae in Theol. Moral. cap. 3. p. 2. sect. 2. §. 34.* habetur responsio, potuisse adesse caussam praegnantem, cur hoc relatum haud legimus; nam in hac responsione omnino latet petitio principii, legem vniuersalem positiuam *Genes. II. 2. 3.* haberi, & a posse ad esse non valet consequentia.

§. LVII.

Porro expressis legitur verbis, Deum non quemcunque sed abscisse eum diem sanctificasse, quo ab opere creationis acquieuit, at *Exod. XVI. 22. 23.* sabbathi celebratio in eum incidit diem septimum, posteaquam panis de coelo cecidisset, quis autem probabit hunc diem septimum illi respondere, quem Deus post peractum creationis opus sanctificauit. Immo Apostoli cultum huius diei septimi in diem hebdomadis primum transtulerunt. Aperte haec omnia docent legem vniuersalem positiuam *Genes. II. 2. 3.* haud inueniri, quidquid obloquantur dissentientes. Quare autem Moses narrauerit, Deum absoluta creatione quieuisse & sanctificasse diem septimum, optime declarat I. TH. CANZIVS *vsu Phil. Wolf. in theol. sect. 5. c. 11. §. 25.* hisce verbis, adsti-

adstipulante CLERICO *Comm. Pentateuch. in loc. Gen. II. 2. p. 16. Mihi igitur placet illorum decisio, qui pertendunt Mosen Genes. II. 2. mentionem fecisse sanctificati a Deo sabbathi, vt sui temporis homines ad originem rituum a se institutorum attentiores faciat, eaussamque alleget statim historiae initio, ob quam posthac Iudaeis sabbathum praescriptum sit.* Haec quum ita sint, facile patet, contrariae sententiae nihil praesidii esse posse in legibus mosaicis, Judaeos tantum obligantibus. Inconsiderate enim prouocant ad verba *Exod. XX. 8. 9. 11. 12. Recordare diei sabbathi, vt sanctifices illum: Sex diebus operaberis & facies omne opus tuum: dies vero septimus sabbathum est Iehouae Deo tuo: ne facito vllum opus tu, aut filius tuus, aut filia tua, seruus tuus, aut ancilla tua, aut iumentum tuum, aut peregrinus tuus, qui est intra portas tuas. Nam sex diebus perfecit Iehoua coelum ipsum, & terram, mare, & quicquid est in eis, quieuit vero die illo septimo: idcirco benedixit Iehoua diei sabbathi, & sanctificauit illum.*

§. LVIII.

Porro dissentientes pro sua hypothesi adducunt verba *Exod. XXXI. 13. 14. 15. 16. & 17.* quae denuo de hac lege loquuntur, addita sanctione poenali, sabbathum profanantes morti esse tradendos. Haec omnia tamen me mouere non possunt, vt illis calculum adiiciam, qui legem positiuam vniuersalem ex his legibus

gibus particularibus corroborare ſtudent. Quare Deus in ferenda hac lege prouocauerit ad *Geneſ. II. 2. 3.* paullo ante diximus; quae prouocatio, & ob ea, quae ſupra fuſius dicta ſunt, de lege poſitiua vniuerſali teſtimonium praebere non poſſunt, quum nullius entis, vt dicere ſolemus, nullae ſunt affectiones. Ad leges ceremoniales potius ſpectant verba adducta, id quod probatum dederunt Ioh. Prideavs, Thomas Brodaevs, Josva le Vassevr, Limborch *in theol. Chriſtiana l. 5. c. 27. §. 7. ſqq.* Franciscvs Gomarvs *in tr. de origine Sabbathi*, Ioh. Spencervs *de legib. hebr. ritual. l. 1. c. 4. ſect. 8. ſqq.*, inter quos elucet Ioh. Heinr. Heidegger *in hiſtor. ſacr. Patriarch. P. I. Exercit. 3. §. 53.* Ex ipſis verbis *Exod. XXXI.* a Moſe relatis prono ſequitur alueo haec propoſitio, veritati conſentanea. Si enim cauſſa impulſiua de ſolis loquitur Iudaeis, legem ipſam quoque de ſolis Iudaeis loqui, neceſſe eſt; legitur autem tum *Ezech. XX. 20.* tum *c. l. com. 13*: *Sabbatha mea ſeruate te, nam ſignum eſt inter me & vos per generationes veſtras*, id quod *com. 17*, repetitur expreſſius: *inter me & filios Iſraelis ſignum eſt in perpetuum.* Dicitur claris verbis, ſabbathum eſſe ſignum inter *filios Iſraëlis*, de aliis vero populis, extra rem publicam Iudaicam viuentibus, ne vllum quidem legitur verbum, id quod tamen neceſſario fieri debuiſſet, ſi Deus & caeteras gentes obligare voluiſſet, quum

quum lex de sanctificando sabbatho ex sola ratione cognosci non potest. At de sola Iudaeorum republica loquitur iterum Deus *comm. 17. c. l. Obseruabunt itaque filii Israelis sabbathum ipsum, celebrando sabbathum per generationes suas, foedere perpetuo.*

§. LIX.

Neque obstat Ill. Kippingii sententia *in error. jur. com. p. 58.* quod ex dispositione legis mosaicae *Exod. XX. 10.*, quae peregrinis, a vinculo legum mosaicarum alias solutis, quoque necessitatem sabbathum sanctificandi imponit, argumentum desumi possit, hanc legem vniuersalem positiuam esse, praesertim quum Iesaias *LVI. 2-7.* de obligatione peregrinis imposita quoque testaretur. Nam argumentum, id quod pace Viri Ill. dictum sit, egregie fallit, siquidem in eodem *commate 10.* legitur, ne iumenta Iudaeorum etiam vllum opus faciant, quae tamen, aeque ac peregrini, a vinculo legum mosaicarum erant soluta; quis vero audebit obseruationem Sabbathi ad iumenta aliorum populorum propter hanc dispositionem specialem extendere? immo probe notandum est *comma cit. 10.* notanter loqui de peregrinis qui sunt *inter portas Israelitarum*, certo indicio hanc propositionem neque ad alios populos, neque ad iumenta aliarum gentium extendendam, sed absciisse ad rem publicam Iudaeorum restringendam esse. Alia instituti

Sab-

Sabbathi ratio, quae solos Judaeos respicit, *Deuteron. V. 15.* legitur: *Memento, quod & ipse seruieris in Aegypto, & eduxit te inde Dominus tuus, in manu forti & in brachio extento; ideirco praecepit tibi, vt seruares diem Sabbathi*, quae verba iterum euincunt, hanc legem esse non posse vniuersalem positiuam.

§. LX.

Obuertit quidem insignis ille Theologus SPENERVS *in denen* Theologischen *Bedencken* p. 2. c. art. 1. sect. 9. *Wenn es aber heist, daß der Sabbath nicht könne vorhin gewesen seyn, weil ihn Gott zum Zeichen seines Bundes mit denen Israëliten gemacht, und also dem Gesetz, denselbigen gegeben, einuerleibet hat; Ist es eine ungültige Folge, indem etwas*, das bereits vorhin gewesen, *zu einem neuen Gebrauch kan angewendet werden: von dem Regenbogen ist kaum zu zweiffelen, wo man dessen natürliche Ursachen ansiehet, daß er vor der Sündfluth bereits gewesen, iedoch bekam er nach derselben ein sonderbahres Amt, zum Zeichen zu dienen 1. Mos. 9. Die Beschneidung war dem Abraham verordnet, 1. B. Mos. 17. iedoch wurde auch dieselbe in das* Levitische *Gesetz mit einuerleibet 3. Mos. 17. &c.* Sed facile

cile patet, quod audacter praesupponat legem de die septimo sanctificando ante Mosen fuisse latam, ad quam petitionem principii allata exempla quoque respiciunt, quum certo certius sit, arcum in nube & circumcisionem ante Noachi & Mosis tempora fuisse, id quod tamen de lege nostra dici nequit, adeoque ab arcu & circumcisione ad legem de sanctificando sabbatho non valet consequentia.

§. LXI.

Ipse quoque Apostolus Paulus nostrae subscribit sententiae, quum inter ceremonias cessantes sabbathum refert. *Ne quis igitur*, ait *Col. II. 16., vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu festi, aut nouilunii, aut Sabbathorum, quae sunt vmbra rerum futurarum, corpus autem Christus est.* Item *Rom. XIV. 5. Alius quidem aestimat diem prae die, alius autem aestimat quemuis diem. Vnusquisque in animo suo plene certus esto.* Item *Gal. IV. 9. 10. At nunc, quum cognoscatis Deum, imo potius cogniti sitis a Deo, quomodo conuertitis vos retrorsum ad infirma & egena elementa, quibus ad superiora regressi seruire vultis? Dies obseruatis & menses & praestituta tempora & annos. Metuo de vobis, ne frustra fatigatus sim apud vos.* In primis autem Apostolus Paulus in *Epist. ad Galatas* docet ex professo, quod iugum legis mosaicae Christianis haud imponendum sit, & ingenue fatetur, se leges Iudaicas ad su-

per-

perstitionem vsque seruasse, donec tandem per gratiam Dei ab isto errore liberatus fuerit. Generaliter de his loquutus, tandem ad specialia, & inprimis ad legem mosaicam de statis diebus, festis & sabbathis celebrandis, deuenit, & ostendit necessariam obseruationem huius legis cum christianismo haud conuenire. In ea quidem opinione est Ill. KIPPINGIVS *c. l. p. 60*, Paulum non abscisse de Sabbatho primitus, vti putat, a Deo instituto, sed de aliis sabbathis loqui; sed nescio qua fronte id scribere potuerit, quum Apostolus expressis verbis sabbathorum, aliis festis oppositorum, mentionem faciat, quae Iudaei septimo die celebrabant, & quae ad exemplum septimi diei, *Genes. II.* sanctificati, & a Deo Iudaeis praescripta erant, & praeterea non constet Iudaeos proprie loquendo alia festa hoc nomine adpellasse. Quid vero si concedamus Paulum quoque de sabbathis annuis, sic enim *in Patrum scriptis* festa Azymorum, Pentecostes, Tubarum, Tabernaculorum, & Expiationis vocantur, hoc loco fuisse loquutum? Si hoc probabile, ne dicam verum, esset, attamen numerus pluralis non excluderet sabbatha septiduana.

§. LXII.

Accedit insigne testimonium TERTVLLIANI *aduers. Iudaeos c. 4.* scribentis: *Dicunt enim Iudaei, quod primordio sanctificaue-*

vit Deus diem septimum, requiescendo in eo ab omnibus operibus suis, quae fecit, & inde etiam Moysen dixisse ad populum: mementote diem sabbatorum: sanctificate eum. Omne opus seruile non facietis in eo, praeterquam quod ad animum pertinet. Vnde nos intelligimus, magis sabbatizare nos ab omni opere seruili semper debere, & non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus. Ac per hoc quaerendum nobis quod sabbatum nos Deus vellet custodire. Nam sabbatum aeternum & sabbatum temporale scripturae designant. Dicit enim Esaias Propheta: Sabbata vestra profanastis. Vnde dignoscimus, Sabbatum temporale esse humanum, & Sabbatum aeternum censeri diuinum. Tandem concludit c. l. Inde manifestum est, ad tempus & praesentis caussae necessitatem huiusmodi praecepta valuisse, & non ad perpetui temporis obseruationem huiusmodi legem eis Deum ante dedisse. Hanc sententiam quoque fouet Eusebius lib. 1. hist. eccl c. 4. & Irenaeus lib. 4. adverss. Haeres. c. 30. nec non Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone pag. 226. quorum verba recenset, & scite ad hoc argumentum adplicat Ill. Boehmerus in Disst. jur. eccl. antiqui. Diss. 1. §. 7. seqq.

§. LXIII.

Immo Augustana Confessio Art. XXVIII. disertis ait verbis, sabbathum apud Augustanae confessioni addictos non perinde certis temporeibus, sicut apud Iudaeos, alligatum esse, vt rei

sacrae

sacrae hic aut ille dies dictus aut praestitutus sit : addendo rationem : *nullum diem altero meliorem & praestantiorem esse.* &c. Neque huic confessioni verba B. LVTHERI, ab Ill. KIPPINGIO *l. c. p. 64. ex T. IX. Altenb. f. 38.* adducta, opponi possunt : *Moses sagt, daß GOtt den Sabbath gesegnet, und ihn geheiliget habe. Solches hat er an keiner andern Creatur gethan, den Himmel und Erden oder einige andere Creatur hat er ihm nicht geheiliget, ohn allein den siebenden Tag hat er ihm geheiliget. Dieses gehöret sonderlich dahin, daß wir daraus verstehen lernen, daß der siebende Tag fürnemlich dem Gottes-Dienst gebühret, und zugeeignet werden solle. Dann heilig heißt, das von allen andern Creaturen abgesondert und GOtt zugeeignet ist; und heiligen heißt zum heiligen Gebrauch oder Gottes-Dienst erwehlen und absondern, wie diese Art zu reden Moses offt brauchet, als wenn er von heiligen Gefässen redet. Folget derohalben aus diesem Text, daß wenn Adam gleich in seiner Unschuld gestanden und geblieben wäre, so hätte er doch den siebenden Tag heilig gehabt, das ist, hätte darin seine Nachkommen gelehrt von Gottes Willen und Gottes-*

Dienst, hätte GOtt gelobet, gedancket geopffert &c. Die andern Tage hätte er das Land gebauet, des Viehes gewartet &c. Derhalben ist der Sabbath von Anfang der Welt zum Gottes-Dienst verordnet. Siquidem haec priuati Doctoris opinio derogare non potest confessioni totius ecclesiae A. C. addictae, praesertim quum spirat petitionem principii, & supra ad nauseam vsque iam demonstratum est, in verbis narrativis nullam consistere legem, & de Patriarchis nullibi legi, quod abscisse diem septimum celebrauerint; adeoque & illa, quam LVTHERVS *c. l.* habet, prorsus singularis est opinio: *Daß auch Adam nach dem Fall diesen siebenden Tag heilig gehalten, das ist, an selben Tage seine Kinder gelehret*, licet addita sit ratio: *wie da zeiget das Opffer seiner Söhne Cain und Abel*, nam diei septimi nec vola nec vestigium adest *Genes. IV. 3.*, vbi tantum legitur: *Fuit autem multos*, vel, vti alii vertunt, *post aliquot, dies, quum obtulit Kaiin de fructu terrae &c*, Verba textus sacri מקץ ימים quae interpres chaldaeus vertit: *in fine dierum*, *Luthero* occasionem dedisse de oblatione Kaiini argumentum pro sua sententia adferendi, facile constat: At B. BVDDEVS *in hist. eccles. Per. I. sect. 1. §. 31. p. 146.* nodum soluit, scite aiens: *Nonnulli haec verba de sabbatho periodico explicant, quasi* IN FINE DIERVM *idem sit, ac*

ac die Sabbathi, putantque, haud leue hic eius se praesidium sententiae inuenisse, quae sabbathum a Patriarchis obseruatum statuit. Sed in tota Mosis narratione nihil apparet, ex quo colligi queat, de sabbatho hic sermonem esse. Rectius itaque forte alii per FINEM DIERVM *finem messis, qui etiam erat finis anni, intelligunt. Huic enim tempori oblatio de fructu terrae quam maxime conuenit.* Immo & graeca versio legit: *post dies plurimos*, nec abludit versio B. LVTHERI germanica. Inconcussa ergo stat nostra sententia *Genes. II. 2. 3.* nullam extare legem, & legem Iudaeis a Mose publicatam, Christianos non obstringere, quum praeceptum *de tempore*, non magis, quam *de loco*, vniuersale est, quippe qui iuxta *Ioh. IV. 22. 23.* in nouo testamento non obseruatur. *Conf.* BVDDEVS *in Theol. mor. c. 3. sect. 2. §. 35. p. 480.*

§. LXIV.

Nouum argumentum dissentientium, a paganorum commemoratione septimi diei sancte habiti desumtum, quod attinet, negari non potest tum in Homero tum Hesiodo vestigia septimi diei, tanquam sacri, adesse, id quod iam CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 5. Strom. p. 600.* & EVSEBIVS *lib. 13. praep. euang. c. 7. p. 677.* animaduertit; Immo AVLVS GELLIVS *in N. A. lib. 3. c. 10.* & MACROBIVS *in somn. Scip. lib. 1. c. 5.* testantur; at fallunt hi homines, qui, eiusmodi testi-

moniis inniſi, arbitrantur, hoc praeceptum moſaicum legis naturalis eſſe, aeque ac illi, qui iuris poſitiui vniuerſalis eſſe ſibi fingunt. In vulgus peruulgatum eſt, quod multi Iudaeorum ritus ad gentes dimanauerint, id quod de Sabbathi notitia quoque dicendum eſt, vt non mirum ſit ſimile quid gentes obſeruaſſe. Famam Sabbathi Iudaici inter gentes percrebuiſſe, teſtimonio eſſe poſſunt verba TACITI *l. 5. c. 4. hiſtor. ſeptimo otium* Iudaeis *placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia ſeptimum quoque ignauiae datum; alii honorem eum Saturno dari &c.* Porro IVSTINVS *lib. 36. c. 2. Itaque Moſes Damaſcena antiqua patria repetita, montem Synan occupat: quo ſeptem dierum ieiunio, per deſerta Arabiae, cum populo ſuo fatigatus, cum tandem veniſſet,* SEPTIMVM DIEM MORE GENTIS SABBATHVM APPELLATVM, *in omne aeuum ieiunio ſacrauit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat.* Vera ſunt mixta falſis a IVSTINO, & eundem errorem circa ieiunia errauit Auguſtus apud SVETONIVM *c. 76. Ne Iudaeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbathis ieiunium ſeruat, quam ego hodie ſeruaui.* Nimirum Romani cum ſcirent, a Iudaeis crebra ieiunia vſurpari, & Sabbathum ab iisdem praecipua caſtimonia celebrari, Sabbathis eos ieiunare temere ſibi perſuaſerunt; id quod tamen egregie falſum eſt, niſi Sabbathum, non pro ſeptimo die heb-

hebdomadis, sed pro tota hebdomade accipiamus, quo sensu Pharisaeus, *Luc. XVIII. 12.* ait: *Ieiuno bis in Sabbatho.* Conf. CASAVBONVS *ad Sueton. l. c.* Insignem locum PLVTARCHI, in quo Sabbathi iudaici mentionem facit, recenset BVDDEVS *c. l. Per. II. sect. 7. §. 31.* ob Sabbathi quietem Iudaeos exagitat IVVENALIS *sat. 14.*

Sed pater in caussa, cui septima quaeque fuit lux
Ignaua, & partem vitae non attigit vllam;

quamobrem Iudaei a MARTIALE *lib. 4. epigramm. 4.* SABBATARII vocantur. Immo & alias Iudaeorum leges ac ritus ad gentes promanasse, ostendunt eruditi, qui in conferendis Iudaeorum aliorumque populorum legibus desudarunt indefesse, quorum nomina recenset tum IOH. ARNDIVS *in manuali legum mosaicarum*, tum MELCHIOR LEIDEKKERVS *de republ. Ebraeor. lib. 5. c. 8. pag. 291. sqq.* Facile igitur patet legem de sanctificando Sabbatho neque naturalem, neque positiuam vniuersalem esse, licet Sabbathum gentibus notum, & ex parte fuerit obseruatum.

§. LXV.

Supereſt vltimum, quod dissentientes ex verbis Pauli *ad Hebr. IV. 3. 4.* depromunt, dubium, in quo Ill. KIPPINGIVS *l. c. pag. 57.* quoque se fundat. Ait Apostolus: *Introimus enim in requiem nos qui credimus, sicut*

cut dixit: *Itaque iurauí in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam, quamuis operibus a iacto mundi fundamento factis. Ita enim dixit quodam in loco de die septimo, & requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.* &c.

In his verbis nihil praesidii esse potest dissentientibus, si scopum Apostoli recte intelligamus. In huius capituli commate 1. vsque ad comma 14. monet Apostolus, ne fideles Ebraei ingressum in requiem aeternam negligant exemplo veterum, quibus verbum sine fide nihil profuit.

§. LXVI.

Ostendit itaque Paulus, Christianos habere requiem aeternam. Ne vero suae propositioni deesse videatur, requiem in V. T. occurrentem enumerat, ostenditque remouendo, aeternam requiem christianos exspectare debere, qualis requies Domini in die septimo creationis, & Israelitarum in terram promissam deductorum non fuit. Admonet ergo Apostolus fideles Ebraeos vt audiant verbum Dei & ad eandem aeternam perveniant requiem, qua carere oportet infideles, quemadmodum exemplo suo comprobarunt Iudaei in deserto carentes requie temporali, *sicut dixit Deus*, pergit Apostolus, *itaque iurauí in ira mea, eos non ingressuros in requiem meam.* Quaenam autem illa Dei requies, a qua excluſi fuerunt Iudaei in deserto, fuerit, sequentibus indicat verbis: *Et*

qui-

quidem illam intelligit Deus requiem, quam fecerat operibus a iacto fundamento mundi factis, dixit enim quodam in loco de die septimo, & requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis. Idem sentit ABRAHAM CALOVIVS, *in Bibliis N. T. illustratis ad h. l.* scite aiens: *Christianis adhuc aliquam requiem superesse iam probandum sumit Apostolus primo* remouendo requiem Domini die septimo creationis, *deinde* requiem in terra Canaan. *Vnde relinquitur* tertiam requiem adhuc restare in altera vita: *Alioquin ea adhortatio adducto exemplo patrum in deserto munita frustranea foret.* Hisce ergo perspectis malum solatium quaesiit in verbis Pauli Ill. KIPPINGIVS cum asseclis.

§. LXVII.

Interim negandum non est christianos primaeuos, quia fideles Iudaei patrios mores legesque mosaicas ad superstitionem vsque sequerentur, sabbathum quoque obseruasse, id quod vel ex eorum sententia adparet, qui *Actor. XV. 5.* putabant, circumcisionem adhuc necessariam esse, quod Apostoli quidem reprobarunt, sed morem vt gereret Paulus fidelibus ex Iudaeorum gente, & scandalum ne illis praeberet, iuxta *Actor. XVI. 3.* circumcisioni subiecit Timotheum. Ex eadem ratione tempus sabbathi quoque obseruarunt, immo diem dominicum religiosum habuerunt, non quidem ex necessitate legis, sed

libera electione, quum ipsis notum esset praeceptum de Deo colendo, si a certo & determinato die discesseris, legis esse moralis. Scite ait Vir quidam doctissimus: *Obseruatur inter Christianos dies hebdomade primus, & iam Apostolorum tempore obseruatus fuisse recte concluditur ex Ioh. XX. 26. Act. XX. 7. 1. Cor. XVI. 2. Apoc. I. 10. Verum non ex obligatione diuini praecepti, sed libera electione, attamen conuenienti ratione nixa, quia illa die Dominus ex mortuis resurrexit. Haec autem libera electio non facit, vt dies ille nobis hodie sit arbitrarius: quod enim ante electionem arbitrarium fuit, electione facta obligat. Nec absonum est aliquid obligandi vim habere, quod libera omnium, qui ea obligantur, electione, vel etiam a Magistratu imponitur. Et hac ratione continua illa praxis vim legis obtinuit.* Eiusdem quoque sententiae est CANZIVS *in vsu philos. sect. IV. c. II. §. 24. lit. tt.* falsе scribens: *Multa Apostoli instituta susceperunt propaganda deinceps per futurum tempus, quae immediate iuris diuini non fuerunt. Inter Apostolos v. g. de gentibus Euangelio docendis conueniebat Gal. II. 9. Dubitandum vero est, num id iussu Dei immediato factum, (ad probationem post factum nemo negat) aliter enim pacto opus non fuisset, cum obsequium Deo sine conuentione debeatur. Conf. 1. Cor. XVI. 1. 2. Pauci sunt qui eleemosynae erogandae institutum singulis diebus dominicis obseruandum, peculiari reuelatione a Deo profectum, eoque iuris vniuer-*

salis

salis positiui praeceptum esse contendunt, licet Apostolorum iam sit commendatum memoria: Quid obstat igitur, quo minus idem de die Dominico sentiamus, quo minus fateamur, esse eius ferias iuris ecclesiastici sed vniuersalis, a nulla vnquam Ecclesia, vllo tempore violandi? Has traditiones ecclesiae vniuersales inde ab Apostolorum memoria ad nos propagatas non repudiamus, vt nobis a romana ecclesia exprobratur, sed quod & Dn. Pfaffius Tub. alicubi monuit, veneramur sanctissime, modo vniuersales sint. Respondet talis ecclesiae vniuersalis consuetudo firmata consensu omnium, iuri gentium, quatenus a iure naturae distinctum est, de quo tot Grotius suo loco docuit. Sicut enim ius gentium in vniuersali gentium consuetudine communi consensu roborata positum est, atque sanctissime quibusuis obseruandum: Ita consuetudo vniuersalis ecclesiae de die Dominica, praesertim cum ratione nitatur factae eodem temporis interuallo resurrectionis Christi, formam faciemque iuris induit, sed ecclesiastici vniuersalis.

§. LXVIII.

Hisce duumuiris, ex rationibus supra enarratis inductus, tres propositiones distinguendo, adiicio calculum quam lubentissime. 1) Vt abscisse quaelibet dies Saturni a Iudaeis cultui diuino destinaretur, ad leges ceremoniales, easque abrogatas, spectat; 2) vt generatim tempus quoddam cultui diuino

uino destinetur, legis moralis est; 3) vt dies dominicus a Christianis sacer habeatur, ex ecclesiarum consuetudine vniuersali longaeua, quae itidem legis habet vigorem, descendit. Circa posteriorem propositionem tamen adhuc notandum est, quod nobis haud persuasum habeamus, sabbathum Iudaicum in diem solis esse translatum, de quo argumento pererudite, prout solet, edisserit Ill. BOEHMERVS *in diss. ad Plin. II. Diss. 1. §. 16.* Tandem obserua, quod dies dominicus non solum ob legem vniuersalem ecclesiasticam, sed & propter hanc rationem haud temere abrogandus sit, ne homines, ad labores quotidianos, propter victum & amictum, nimis attenti, cultum diuinum in totum negligant.

§. LXIX.

Ad leges positiuas vniuersales quoque VIII referunt casus *Leu. XVIII. & XX.* prohibitos. Meo iudicio nuptiae ibidem prohibitae varii sunt generis, adeoque a se inuicem probe separandae. Matrimonium inter ascendentes & descendentes in infinitum damnatur *Leu. XVIII. 7. 8.* nam vocabulum *Pater* & *Mater*, ob huius legis rationem, in latissimo sumitur sensu, denotans quemcunque ascendentem. Quapropter ICti dicere solent: Adamum, si a mortuis resurgeret, nullam sibi feminam matrimonii vinculo iungere posse, absque scelere, quum omnes feminae

nae ab Adamo in recta descendunt linea, Huius interdicti fundamentum *in carnis propinquitate* haud positum est, haec enim si adaequata esset ratio, ne quidem Adamus Euam in matrimonium ducere potuisset, quia ambo vnius eiusdemque erant carnis. Interim nonnulli sunt doctores, qui, hanc rationem propugnantes, simile quoddam a riuulo, nunquam ad scaturiginem recurrente, desumtum, pro confirmanda sua sententia, adducunt; at rerum argumentis non similibus dimicandum est, nam iuxta tritum illud, similia nihil probant sed tantum probata illustrant. Haud melioris conditionis eorum est opinio, qui instinctum naturalem pro vera huius legis ratione venditant. PLINIVS quidem *in hist. natur. lib. 8. c. 42.* mirabilia de hoc naturali instinctu narrat, dum inter alia scribit: *Alium* scilicet equum *detracto oculorum operimento & cognito cum matre coitu, petiisse praerupta, atque exanimatum. Equae eadem ex caussa in Reatino agro laceratum prorigam* (vel vti alii legunt *anrigam*) *inuenimus. Namque & cognationum intellectus in iis est, itaque in grege prioris anni sorore libentius etiam, quam matre, equa comitatur.* Sed haec omnia credat Iudaeus apella, licet eandem foueat sententiam VARRO *de re rustica lib. 2. c. 7.* & IVSTINIANVS, *Nou. 12. c. 1.* aiens, quod incestas nuptias contrahens *talia concupiat, qualia plurima irrationabilia amouent animalia.*

LXX

§. LXX.

Incestum lineae rectae omnium fere consensu, lege naturae prohibitum esse, asserit CANZIVS *de vsu Phil. Wolff. in theol. sect. 4. c. II. §. 21.* quamuis nonnulli de prohibitione istac comprobanda desperent. Meo quidem iudicio vera huius prohibitionis ratio in respectuum confusione latet; Conf. *tract. nostr. de comput. grad.* §. *29*, & scite de hoc argumento scribit Ill. KIPPINGIVS *in spec. error. com. in iure p. 101: Felicitati hominum nullus status impedimento esse debet. Nec ergo status alius felicitati alterius status aduersetur, aequum est. Parentes & libri viuunt in statu seu societate inaequali. Parentes post Deum sunt auctores liberorum, altores, & qui maximis liberos beneficiis adficiunt, quae gratum non modo animum, sed & summam reuerentiam suo merito poscunt, vt sancti apud omnes gentes moratiores a liberis sint habiti parentes. Huic reuerentiae nec renunciare posse parentes, inde patet, quod liberis esse felicibus non datum sit, nisi parentum imperio pareant, quoad in eorum domo degunt,* ET NISI REVERENTVR EOS, DVM VIVUNT. *Filius cum matre rem habens sit illi aequalis, si non superior, & sic familiaris, vt omnis timor & reuerentia desiuat & cesset.* Eandem legum collisionem in matrimonio patris cum filia adesse, nemo dubitat, quae ratio euincit, eiusmodi coniugia iuri naturali prorsus repugnare. Obuertunt quidem, hanc rationem minus adaequa-

aequatam esse, siquidem Princeps subditi filiam in matrimonium ducere posset, licet omnis subditus reuerentiam Principi habere debeat; sed facilis erit responsio: Relatio inter ascendentes & descendentes naturales, aeterna & absoluta, inter Principem & subditum vero hypothetica tantum est, adeoque ab vno ad alterum casum non valet consequentia. Quum vero inter ascendentes & descendentes matrimonia iure naturali sint illicita, legitime inde sequitur α) vt nulla dispensatio in his casibus habeat locum β) vt GRETSERVS, *in diss. de matrim. c. 1. thes. 11. sqq.* asserens, coniugia primi & secundi gradus in linea recta ne quidem intrinsece mala esse, recte notatus sit atro carbone a DIDACO COVARRUVIAS *tom. 1. de matrim. c. 6. §. 6. n. 11.* γ) vt contra principia rectae rationis ZENO, CHRISIPPVS & PERSARUM MAGI *maternum concubitum licitum pronunciauerint.* Conf. SEXTUS EMPIRICUS *hypothes. lib. 3. c. 4, & 25.* THEODORETUS *de curandis graecorum adfectibus lib. 9.* STRABO *lib. 15.* δ) vt haec prohibitio non ad legem *positiuam*, sed *moralem*, quia lex positiua ex ratione cognosci nequit, omnino referenda sit, id quod de interdicto coitu cum vxore aliena, cum masculo, cum bestia, dicendum quoque est.

§. LXXI.

Longe aliter subducendus est calculus in reliquis *Leu. XVIII. & XX.* enarratis casibus.

Con-

Coniugium fratrum & sororum siue vnilateralium siue germanorum iure naturali non est prohibitum, alias Adami liberi coniungi non potuissent, nam iuris naturalis principia nequidem Deus euertere potest. Vtrum vero & reliquae prohibitiones, quae *Leu. XVIII. XX.* & *Deuteron. XXVIII.* habentur, iuris positiui *vniuersalis* an *particularis* sint, nec ne? paucis indagandum est. Omnis lex vniuersalis positiua requirit promulgationem ante rempublicam Iudaicam, & quidem necesse est, vt lex publicata sit omnibus hominibus, vel eiusmodi personis totum genus humanum repraesentantibus. Adamo haud publicatam esse legem de vitando fratrum sororumque connubio, ob ea, quae iam dicta sunt, certum est; nec Noacho eiusmodi publicationem obtigisse exinde satis constat, quod Abrahamus licite in matrimonio habuerit consanguineam suam sororem, *Genes. XX. 12.* Existimat quidem Josephus, Saram fuisse fratris Abrahami filiam, sed huic sententiae aperte obstant verba *Genes. XX. 12. Reuera soror mea est filia patris mei, non autem filia matris meae: mihi vero nupta est.*

§. LXXII.

Idem dicendum est de patruo, amita, auunculo & matertera, siquidem *Genes. XI. 27. 29.* de Nahore Milcam fratris sui filiam, & *Exod. VI. 20.*, collato loco *Num. XXVI. 59. Genes. LVI. 11.* & *Exod. VI. 18.*, de Amramo

patris

patris sui sororem Iochebed in matrimonium ducente legimus, id quod, si antea fuisset prohibitum, atro carbone notasset scriptor sacer procul omni dubio. De vxoris sorore & fratris vidua nihil est quod dicam, quum prior casus sub limitatione aperta tantum prohibitus, posterior autem sub certa conditione omnino permissus est. Enarrat GROTIVS *de I. B. & P. L. 2. c. 5. §. 13.* dissentientium argumenta sequentibus verbis: *Sequitur quaestio de gradibus affinitatis omnibus, & de gradibus sanguinis ex transverso limite, iis praesertim, qui Levitici C. XVIII. expressi leguntur. Nam etiam concesso, a mero jure naturae non venire haec interdicta, videri tamen possunt praecepto diuinae voluntatis haec iuisse in vetitum: neque vero tale id esse praeceptum, quod solos hebraeos adstringat, sed quod homines vniuersos, colligi videtur ex iis Dei verbis ad Mosem: Ne polluite vos vlla harum rerum, quia omnibus istis polluti sunt populi, quos vobis aduenientibus dispello. Mox, ne facite vllam ex istis* REBVS ABOMINANDIS, *nam omnes istas fecerunt indigenae terrae istius, quae vobis exposita est, vnde polluta est, terra. Nam si Cananaei eorumque vicini peccarunt talia faciendo, sequitur, vt lex aliqua praecesserit: quae cum mere naturalis non sit, restat, vt a Deo data sit, aut ipsis peculiariter, (quod non est verisimile, nec satis ferunt verba) aut humano generi,* SIVE IN PRIMA CONSTITVTIONE, SIVE IN REPARATIONE

POST DILVVIVM. *Tales autem leges, quae humano generi vniuerso sunt datae, non videntur a Christo abrogatae, sed eae demum, quae judaeos aliis nationibus, quasi sepimento interjecto, disparabant. Cui accedit, quod Paulus conjugium priuigni cum nouerca tam seuere detestatur: cum tamen nullum ea de re peculiare extet Christi praeceptum; nec ipse alio vtatur argumento, quam quod talis commixtio impura habeatur a profanis etiam gentibus, quod verum esse praeter alia ostendunt Charundae leges, quae tale matrimonium infamia notant: & illud in oratione Lysiae:* συνῴκει ὁ πάντων σχετιώτατος ἀνθρώπων τῇ μητρὶ καὶ τῇ θυγατρὶ, *maritus erat ille impurissimus hominum matris ac filiae: vnde non abit Ciceronis illud pro A. Cluentio in causa non dissimili. Nam cum socrum genero nupsisse narrasset, subdit: O mulieris scelus incredibile, & praeter hanc vnam in omni vita inauditum! Seleucus rex cum vxorem suam Stratonicen Antiocho filio nuptam daret, verebatur, narrante Plutarcho, ne ipsa offenderetur* τῷ μὴ νενομισμένῳ, *vt re illicita. Apud Virgilium est:*

Thalamos ausum incestare nouercae,

quae communis existimatio, si a necessario naturae dictato originem non habuit, omnino sequitur, vt descendat ex veteri traditione, quae a diuino aliquo praecepto manarit.

Porro: *De connubio fratrum & sororum, verba haec sunt* MICHAELIS EPHESII *ad quintum Nico-*

mc-

machiorum: τὸν ἀδελφὸν μίγνυσθαι τῇ ἀδελφῇ ἐξ ἀρχῆς μὲν ἀδιάφορον ἦν. νόμῳ δὲ τεθέντος μὴ μίγνυσθαι, πολὺ τὸ διάφορον: *Fratrem cum sorore concumbere ab initio res media erat: at lege aduersus tales concubitus posita, jam multum refert, obseruetur lex nec ne.* DIODORVS SICVLVS *vocat* κοινὸν ἔθος τῶν ἀνθρώπων, *communem hominum morem, ne fratres sororibus jungantur, a quo more Aegyptios eximit* DION PRVSAEENSIS *barbaros.* SENECA *scripserat, matrimonia Deorum jungimus, & ne pie quidem, fratrum scilicet & sororum.* PLATO de legibus octauo, *talia conjugia vocat* μηδαμῶς ὅσια, καὶ θεομισῆ, *minime pia sed Deo inuisa. Quae omnia ostendunt veterem famam de lege diuina aduersus id genus conjugia, vnde & vocem* nefas *de talibus vsurpari videmus. Omnes autem fratres & sorores comprehendi lex ipsa indicat, tam agnatos, quam cognatos ejus gradus, siue foris, siue domi natos atque educatos comprehendens.*

§. LXXIII.

In his GROTII verbis tria reperiuntur argumenta. 1) Quod implicite de promulgatione legis constet, quia ob transgressionem Deus puniuerit gentiles 2) quod Apostolus Paulus damnauerit virum cum nouerca conjunctum, & denique 3) quod communis populorum consensus de promulgatione legis positiuae vniuersalis testetur. Speciosum quidem est primum argumentum,

sed, re penitus inspecta, nullo innititur fundamento. Ipsum enim GROTIVM fateri oportet, quod lex ejusmodi fieri debuerit *siue in prima mundi constitutione, siue in reparatione post diluuium*, alias enim, quum promulgationem ethnicis peculiariter factam ipse neget GROTIVS, totum humanum genus obligari non potuit; testantur vero sacrae paginae Abrahamum suam sororem consanguineam, Amramum patris sui sororem, Nahorem fratris sui filiam & Jacobum duas sorores germanas in matrimonium duxisse, neque ob eam rem a Deo fuisse reprehensos, d quod omnino factum fuisset, si antea extitisset lex vniuersalis positiua, ob cujus transgressionem expulisset gentiles.

§. LXXIV.

Verba igitur quae habentur *Leuit. XVIII. 24. 25. 27.* necessario respiciunt ad nefanda matrimonia, ad adulterium, ad morem vsitatum traducendi semen Moleco, ad commixtionem cum mare concubitu muliebri, ad concubitum cum bestia, & ad similes casus, quos abhorret natura, & vbi Venus in alteram mutatur formam, vbi amor quaeritur nec videtur, & vbi scelus est id, quod non proficit scire. Recte ait ALBERTVS ZVM FELDE, theologus ille insignis, *in Polit. sacra Sect. II. c. II. §. 24. Euidens est ad legem positiuam vniuersalem requiri, vt 1) res circa quam lex versatur, indifferens sit, &*

ante

ante legem licita: 2) lex omnibus hominibus sit rogata; quod 3) non conquisitis qualibuscunque argumentis, sed ex ipsa lege probandum est. Crimina ergo, ob quae expulit Deus ethnicos, omnia contra rectae rationis erant principia, quae poena ad alios casus, non jure naturali, sed postea demum lege positiua particulari *Leu. XVIII.* prohibitos, ob ea, quae supra sunt dicta, extendi nequit. Addimus vnicum, idque firmissimum argumentum: *De quo subjecto loquitur exceptio, de eo quoque necessario loquitur regula; Exceptio vero, quae intuitu connubii cum fratis vidua ineundi Deutron. XXV. 5. habetur, tantum de judaica loquitur gente, ergo de regula idem dicendum esse legitime consequitur.* Eodem ratiocinio vsus est Ill. BOEHMERVS *in jure eccl. prot. lib. 4. tit. 19. §. 21.* de totali & partiali diuortio erudite, prout solet, disserens; & mihi nemo vitio vertet, quod illud ad hoc argumentum meo jure adplicauerim. Licet vero allata exceptio tantum de vnico loquatur casu, sufficit tamen, quod hic casus in naturali jure haud sit fundatus, sed solo jure positiuo, aeque vt ceteri ejusdem farinae, sit prohibitus, adeoque nihil obstat quo minus ab eo ad reliquas leges mere positiuas concludi possit.

§. LXXV.

Quod ad verba Apostoli Pauli attinet, facile liquet, ipsum loqui de casu jure natu-

rali prohibito, inter ascendentes enim certo respectu comprehenditur, & nouerca adeoque ab hoc casu ad reliquos, in jure naturae haud fundatos, non valet consequentia. Neque tertium argumentum, a consensu populorum desumtum, ejus est ponderis, vt dissentientibus calculum adiiciam; supra enim variis testimoniis jam probatum dedimus, ethnicos legum mosaicarum notionem habuisse, & suos mores secundum Iudaeorum praescripta saepius composuisse; argumentum ergo, quod dissentientes inde depromunt, vacillat omnino. Salse de hac quaestione ALBERT. ZVM FELDE, *c. l. §. 27. lit. b.* nostrae sententiae subscribens, ait: *Cum de gradibus matrimonii prohibitis ante legem Mosaicam nulla lex extet, & sancti Deoque accepti Patriarchae in nonnullis contra Mosaicam illam connubia contraxerint, dubitandum minimum erit, an illa sit omnibus hominibus rogata? Alio sane argumento, quam quod a Mose haec tradita fuerint, opus esse, omnes agnoscunt, cum ex Leuit. cap. XVIII. argumenta conquirunt pro confirmanda sententia sua, e. c. quod Cananitae fuerint propter transgressionem harum legum e sedibus ejecti; & reliqua. Tutius hodie esse existimo, vt ad aequitatem illam, quam in contrahendis matrimoniis ecclesia Israëlitica sequi debuit, & nostros mores conformemus; Quapropter gradus illi merito nunc legibus ecclesiasticis ciuilibus prohibiti sunt. Alia quaestio est autem, an de gradibus illis lex positiua vniuersa-*

versalis extet? In plurimis de naturali nullum est dubium, in linea nimirum ascendente & descendente. De reliquis itaque quaeritur, an c. c. conjugium compriuignorum lege quadam diua vniuersali sit prohibitum? Quam quaestionem negamus.

Neque aliae conclusiones ex GVNDLINGII hypothesi fluunt, qui *in I. N. & G. c. l. §. 75.* omnes leges, quas reliqui pro vniuersalibus venditant, pro conclusionibus Ethices virtutisque praeceptae consequentiis habet, quum non constet de lege arbitraria vniuersali, & praeter necessitatem leges diuinae non sint multiplicandae. *Lex diuina positiua vniuersalis*, pergit hic Vir dum viueret Illustris, *quam excogitarunt nonnulli, non est dicendae positiua, quia jam in lege naturali absoluta & honestatis, temperantiae ac decoris pleniſſima continetur; aut saltem ex illa fluit. Quod doctores impulit, vt ad ejusmodi legem positiuam vniuersalem confugerent, hoc est: Non potuere isti causſam inuenire sat stringentem, quare vetarentur varia incestus genera, ob quae Deus expulerit gentes Cananaeas; neque in aliis capitibus argumentum prohibitionis illico ratione juris externi occurrebat &c. &c.* Quicquid horum sit, constat tamen nullam legem vniuersalem positiuam inueniri *Leuit. XVIII.* sed prohibitiones istas, ex mente GVNDLINGII, partim descendere ex juris naturalis principio, partim ex regulis honesti & decori, quae quidem in lege Mosaica, adeoque speciali sanctione Iudaeis sunt propositae, sed ab omni-

bus hominibus, rationes legis, quas in tr. *de comput. grad.* proposuimus sigillatim, non respuentibus, & ejusmodi decori principia agnoscentibus, omnino obseruari debent, licet in eiusmodi casibus Principi potestas dispensandi non sit ademta.

§. LXXVI.

Tandem

IX) paucis dicendum est de *imperio maritali in vxorem*, quod nonnulli, plus justo hoc extendentes, pro lege vniuersali positiua venditant. Primarius locus extat *Genes. III. 16.* qui paullo adcuratius est inspiciendus. Duae sunt in hoc commate propositiones, nam 1) ait Deus mulierem habituram esse dolores, & 2) appetitum ad virum, licet sciat ex concubitu oriri dolores. Dolores triplicis generis occurunt in textu hebraico, legimus enim α) *generaliter* הרבה ארבה עצבונך *multiplicando multiplicabo dolorem tuum*, β) והרונך *& conceptus tui* scilicet dolores multiplicabo, & denique γ) בעצב תלדי בנים *in dolore paries liberos.* Totus contextus loquitur de doloribus intuitu liberorum existentibus, & priora verba quum generaliter loquantur עצבון *de doloribus*, immo: DE DOLORIBVS MVLTIPLICANDO MVLTIPLICATIS, haud sane absonum est si cum Raschi, ex argumenti ratione, dicamus, dolores generaliter propositos respicere ad dolores quam saepissime in lactatione & liberorum educatione occurren-

rentes, quia hi dolores & respectu durationis magnas mulieri creant molestias, id quod feminas ingenue fateri oportet, adeoque quotidiana corroboratur experientia. Signum finitae propositionis, de doloribus loquentis, cognoscitur ex accentu Athnach (ג) & sequitur altera propositio: *& ad maritum tuum appetitus tuus* erit, ואל אישך תשוקתך i. e. licet scias ex hoc appetitu ad maritum, i. e. ex desiderio prolis suscipiendae dolores prouenire triplicis generis, attamen desiderio concumbendi flagrabis, *& ipse* maritus *praecerit tibi* והוא ימשל בך i. e. maritus non semper tibi, concubitum petenti, morem geret, sed vnice a nutu & voluntate mariti, quamuis non de iure, sed de facto procedentis, haec omnia pendebunt.

§. LXXVII.

Scio quidem nonnullis cum Clerico *in Pentateuchum* hanc explicationem non placere, sed ipsorum argumenta non stringunt. Ait Clericvs c. l. שקק *schakak est* currere *aut* cursitare, *vt Lexica docebunt. Hinc, quia serui circa heros, pro horum imperiis cursitant, obedientia eorum, qui aliis subiecti sunt, nomine* cursus *exprimitur, &* cursus ad eos *esse dicitur, quibus obsequium seu spontaneum, seu ex lege exhibetur.* Vertit ergo Clericvs verba quae supra sunt allata: *Ad virum tuum cursus tuus* i. e. viro tuo eris subiecta. Nostram versionem impugnat Clericvs qua-

tuor argumentis α) quod eiusmodi appetitus non minus viri quam mulieris sit, adeoque desiderium prolis suscipiendae pro poena mulieris haberi nequeat; β) quod Caini debitum a minore fratre obsequium infra *cap. IV. 7.* iisdem describatur verbis; γ) quod *Cantici Cap. VII. 10.* amantis sponsi, erga sponsam, συγκατάβασις iisdem verbis pingatur: *Ego sum amasio, & ad me cursus illius* ואלי תשוקתו *vehalai thschoukato*; δ) quod πρόθεσις ἐπεξηγητική quae sequitur, *& dominabitur tibi* nostrae obstet sententiae. At facilis erit responsio. Nam primum argumentum falsam ab appetitu, doloribus experte, in se continet consequentiam ad appetitum cum maximis coniunctum doloribus, siquidem desiderium prolis suscipiendae, quod in viro deprehenditur, cum doloribus partus, aliisque grauissimis incommodis, quibus mulier agitari solet, haud est coniunctum, adeoque hic appetitus mariti in poenam non abit; quod longe aliter in muliere sese habet, quae doloribus vexatur & nihilosecius maritales anhelat amplexus. A marito ergo ad mulierem non valet consequentia. Argumentum secundum quod ex *Genes. Cap. IV. 7.* desumtum est, falsa innititur explicatione, siquidem nec vola nec vestigium ibidem de fratrum obsequio & de primogenituraе praerogatiua inuenitur, quamque explicationem praeterea neque contextus neque antecedentia ferunt. Improbat Deus Caini iram accensam, additque ratio-

tionem, quare ad munus sibi a Caino oblatum non respexerit, hisce verbis: *Nonne si bene egeris, remissio: si vero non bene egeris, prae foribus* est *peccatum excubans? nam erga te appetitus eius est, tu vero praees illi.* Haec verba inuoluunt hebraismum, & nihil aliud indigitant quam Caini prauam concupiscentiam, cui omni opera resistere iubetur Cainus, ne seruus peccatorum fiat. Haec explicatio optime cohaeret cum antecedentibus, & secundum regulas hermeneuticas sensus proprius semper metaphorico est praeferendus. Idem dicendum est de verbis *Cantic. cap. VII. 1.*, praesertim quum in vniuerso canticorum libro sermo sit de amore & deliciis, magis ergo cum scopo conueniunt verba: *Ego dilecti mei sum, quandoquidem erga me* est *appetitus eius;* & facile constat, verba: *vehalai thschoukato* haud denotare *obedientiam & subiectionem*, de qua scriptor canticorum, arctissimum desponsatorum amorem proponens, minime fuit sollicitus.

§. LXXVIII.

Neque 4) nostrae explicationi obstant sequentia verba: *& ille praecerit tibi*, haec enim necessariam habent relationem ad verba proxime antecedentia: *appetitus tuus erit erga maritum;* & haec verba non in diuersis sed vna propositione inueniuntur, & hanc ob caussam de vno eodemque subiecto & praedicato aperte loquuntur; si ergo in verbis:

&

& ille praeerit tibi, maritale imperium, vti dissentientes somniant, comprehenderetur, haec verba procul omni dubio per accentum *Athnach* separata fuissent a verbis proxime antecedentibus, quum *appetitus erga maritum* & *imperium maritale*, tanquam res diuersissimae in vna eademque propositione poni non possunt. Accedit denique, quod ipsum *Clericum* fateri oportet, Radicem שרק apud Arabas potissimum significare, *appetere*. Sequitur ergo vt in S. S. verbum: תשוקה verti possit per *appetitum*, & saepius ita ob antecedentia & consequentia verti debeat, nisi substratae materiae ratio, vti *Genes. XV. 2.*, aliud suadeat. Haec obseruatio, iuncta confessione Clerici, nostrae patrocinatur sententiae, & satis superque indicat, mulierem iuxta *Genes. III. 16.* habere desiderium prolis suscipiendae, eaque fini concumbendi cum viro appetitum, licet sciat dolores sibi esse paratissimos; &, quod magis, etiamsi mulier desiderio concumbendi flagret, attamen maritum cogere non posse vt ipsi praestet debitum coniugale, quin potius a viro exspectare debere. Huic explicationi opponi non potest effatum Apostoli Pauli: *Vxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium corpus non habet sed mulier*, 1. *Cor. VII. 4.* quum haec verba, vti consequentia aperte docent, de separatione coniugum siue abstinentia quoad dies vitae loquantur, id quod omnino esset contra scopum

pum matrimonii. Ex his omnibus legitime consequitur, in verbis *Genes. III. 16.* legem vniuersalem positiuam de mariti imperio in vxorem, vti quidam suspicantur, non deprehendi, nisi textui sacro vim inferre velimus.

§. LXXIX.

Quid vero si concedamus in verbis *commatis 16.* vltimis marito permissiue concessum fuisse imperium eiusmodi? attamen ex mente THOMASII hoc non inuolueret legem positiuam vniuersalem, sed tantum indicaret consectaria mala, ex lapsu primorum parentum profluentia, i. e. quod Adamus in posterum & eius descendentes mulieribus suis haud coeco impetu morem gererent, sed omnem mouerent lapidem, vt a suo nutu penderent vxores; id quod eo magis dicendum est, quum in verbis citatis sanctio poenalis non legitur, quae tamen ad legis essentiam necessario requiritur. Eiusdem sententiae est Auctor, qui scripsit obseruationem *von der Herschaft der Männer über die Weiber*, quae extat *in denen Hallischen auserlesenen Anmerkungen, in dem Anhange des dritten Theils*, en eius verba p. m. 32.: *Gott stellet nur an diesem Orte der Eva vor, was geschehen wird, nicht was geschehen soll; und ist es nur eine Ankündigung des Bösen, welches aus dem Fall erfolgen werde. Eben gleichwie Samuel denen Israeliten vorher verkündigen muste, was sie sich vor ein Wunder auf den Halss laden würden,*

wenn

wenn sie einen König wehlen wolten, so daß diejenigen albern seyn, die daraus das ius regium behaupten wollen, da an selbigen Orte offenbahrlich nicht die Rede ist de iure, sondern de eo was der Fürst de facto thun werde. Vid. 1. Sam. VIII. 14. Weil nun Gott vorher sahe, daß die Männer die Weiber zu unterdrüken suchen würden, so sagte Er zur Eva; Du hast dir eine Ruthe zu deinen eigenen Rüken gebunden; du hast deinen Mann verführet, so wirst du nun sehen, was du damit angerichtet; denn weil Adam nunmehr durch deine recommendation des Apfels in statum peccati ist versetzet worden, und unordentliche Begierden gekriegt, alle Menschen aber, die in der Thorheit stecken, gern über den andern dominiren wollen, so wird er und seine Nachkommen suchen das Weibesvolck unterthänig zu machen, und mit euch nach ihren Gefallen umzugehen, so daß hernach gar die Juristen kommen, und nicht nur ein Recht daraus machen, sondern endlich gar das ius vitae & necis über euch exerciren werden. Diese Explication muß so lange statt finden, so lange keiner ein absurdum daraus deduciren kan, zumahl da selbige mit der Natur des Ehestandes, als welche eine Herschaft respuirt, nicht streitet, und ohne dem die gemeine Meinung der

Theo-

Theologorum *ist*, *daß Adam und Eva damahls das gantze menschliche Geschlecht* repraesentiret.

Item: *Denn ist die Herschafft der Männer denen Weibern zur Straffe geordnet, und soll der Mann daran seyn, daß die* subjection *des Weibes als eine* poena lapsus *zur* execution *gebracht werde, so muß vors erste die Frau eine* Incommodität *davon empfinden, und es ihr Wehe thun, daß der Mann über sie herrscht, weil es sonst keine Straffe ist, und die meisten Weiber ohndem, wo nicht Bügermeister doch Cämmerer in Hause seyn. Und vors andere so muß es der Mann* nolens volens *scharff ahnden, wenn die Frau den* respect *gegen ihn ein bißgen an die Seite setzt. Denn gleichwie die Unterobrigkeiten sehwehre Verantwortung sich auf den Hals laden, wenn sie die Straffe, so von der hohen Obrigkeit denen* Delinquenten *gesetzt, nicht* exequiren *wollen, also handelt auch derjenige Mann gröblich wieder GOttes Ordnung wenn er aus Mittleyden gegen seine liebe Frau das* ius aggratiandi exerciren *will. Hieraus siehet man was vor schöne Dinge aus der gemeinen Meinung folgen. Und wenn die Weiber nach Gottes Geboth denen Männern unterthan seyn sollen, so daß darin kein Mensch* dispensiren *kan, warum läst man denn die Weiber insgemein oben an gehen? Ist das* decorum *nicht* irraisonabel, *das wieder Gottes Geboth ist? Solte aber dieses die* Antagonisten *nicht scharff gnug faßen; Mein, so sagt mir doch, warum leidet ihr, daß Weiber gantze Völcker beherschen? Kan eine Frau so viel*

Män

Männer en souverain *regieren*, warum soll sie eben im Ehestande allemahl des Mannes Schuhadder seyn? *Iniquum est*, sagt LANSIVS *in Orat. pro Gallia p. 234. foeminis ius potestatis & imperium denegare in familia priuata, & tamen in magna Reipublicae familia illis omnem & summam potestatem conferre. &c. &c.*

Item *p. 24. §. 12. Und wie wolten die Männer über ihre Frauens zu herschen* praetendiren können, *da sie sich insgemein so gar sehr* submittiren, *und der Jungfer ihren Speichel lecken, wenn sie sich in den Stand der heiligen Ehe begeben wollen. Man siehet ja sein blaues Wunder, wie sie sich krümmen und beugen, und bey Seel und Seeligkeit der geliebten Person allen ersinnlichen Gehorsahm versprechen, wenn sie sich nur* resolviren *würde ihn um Gottes Willen zum Gemahl anzunehmen. Betriegt ihr nicht auf diese Art das Weibesvolck, wenn ihr sie hernach* commandiren *wollet? Hat der Mann über die Frau ein Recht zu herrschen, warum macht man solch blind lermen, und macht denen Leuten weiß, daß man sie auf den Händen tragen wolle, damit sie keinen Fuß an irgend einen Stein stoßen mögen? Ein Kerl der einen Diener erst mit Geschencken an sich lockt, ihn* caressiret, *und Himmelhoch bittet, auch wohl gar dabey weinet, daß er bey ihn ziehen möge, und sich noch dazu* obligiret, *ihm allen Willen zu lassen,* prostituiret *sich nur hernach, wenn er dem Diener etwas befehlen will. Und wie kann der Mann so grob seyn, und über seine Gutthäterin zu herrschen verlangen. da* com-

mu-

munis mos *ist*, *daß die Weiber ihre Manner durch Beförderungen oder reiche Mitgifft erst zum Manne machen müssen? Der* Pastor *gehet nicht über den* Patron, *der ihn zur Pfarre geholffen. Ich geschweige, daß bey denen meisten Völckern die Weiber auch in gemeinen Leben in grosser* veneration *seyn, und deshalb zum Exempel in Rom kein Mann als neben seinem Eheweibe auf einer* Carosse *fahren durffte. &c. &c.* Hic mos olim iam inualuit, nam de sponso, amoris stimulis agitato, omnia promittente, post confectionem tabularum nuptialium autem fidem non habente, falsè loquitur Ariadna apud Catullum iisdem fere verbis:

Tum iam nulla viro iuranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles,
Qui dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt,
Sed, simul ac cupidae mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.

§. LXXX.

Plura ἀσύστατα, quae ex maritali imperio prono fluunt alueo, addere non lubet, quae alias praelaudatus Auctor plena ferit manu. Interea vnum adhuc est, quod moneam lectorem beneuolum. Omnis lex liberam praesupponit determinationem subiecti, intuitu actionis per modum legis praescriptae,

scriptae, nam id, quod in necessitate hypothetica fundatum est, & hominis liberam determinationem excludit, obiectum legis esse nequit; atqui ager a Deo maledictus spinas & carduos proferens, & mors naturalis hominibus certissima, immo dolores conceptus & partus liberam hominum determinationem excludunt, & profluunt ex necessitate hypothetica, ergo obiectum legis esse non possunt, quin potius mala lapsus consectaria dicuntur. Quum vero a *commate 14* vsque ad *comma 20* dicti capituli consectaria mala vnius eiusdemque generis, i. e. quae supponunt necessitatem hypotheticam, occurrant, nulla ratio concludens apparet, quo minus verba vltima *commatis 16* ad consectaria mala sint referenda. Vbi autem obiectum legis deficit, ibi quoque lex esse nequit. Habes nostra, eaque firmissima argumenta, quae aperte docent, quod *Genes. III.* nulla inueniatur lex vniuersalis positiua, & dissentientes fucum vendant omnino.

§. LXXXI.

Loca, quae in Apostolorum effatis habentur, a dissentientibus allegata, stilum nostrum non vertunt. Legimus quidem *Ephes. V. 22.* Αἱ γυναῖκες τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθε, ὡς τῷ Κυρίῳ *Vxores propriis viris subiicite vos, vt Domino.* Item *commate 33.* ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα *vxor autem vt timeat virum.* Item *1. Cor. XIV. 34.* Αἱ

Αἱ γυναῖκες ὑποτάσσεσθαι καθὼς ὁ νόμος λέγει. *mulieres subditae sint, sicut & lex* (Iudaeorum nempe politica) *dicit.* Nec non *1. Timoth. II. 12.* Γυναικὶ δὲ διδάσκειν ἐπιτρέπω, οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχία. *Mulieri enim docere non permitto, neque auctoritatem vsurpare in virum, sed vt sit in silentio.* Item *1. Petri III. 1.* Ὁμοίως αἱ γυναῖκες ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν. *Similiter vxores sese subiiciant suis viris.* At probe notandum est, quod verbum ὑποτάσσομαι non semper *imperium, subiectionem absolutam, dominium* aut *potestatem absolutam* involuat, sed pro substrata materia tantum in se comprehendat *amicum obsequium*, quo inductus dictis & adhortationibus alicuius ex moralitatis principiis aliquis obtemperet. Patescit hoc ex *cap. V. Ephes. v. 21.* Ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Θεοῦ. *Subiicientes vos alii aliis cum timore Dei.* Item *1. Cor. XVI. 16.* legimus: Ἵνα καὶ ὑμεῖς ὑποτάσσησθε τῷ & *vos subiiciamini* nempe domui Stephanae. Nec non *1. Petri V. 5.* Ὁμοίως νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις· πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι. *Similiter iuniores subiecti estote senioribus & omnes vicissim subiicimini.* Extra omnem vero dubitationis aleam positum est, quod Presbyteri in ecclesia primitiua nullo *imperio* gauisi fuerint. Praeterea ipse Apostolus Petrus in sequentibus verbis *commatis cit. 5.* declarat, de qua submissione velit intelligi, notanter enim addit: *Submissione a-*

nimi estote intus ornati: nam Deus superbis obsistit, submissis autem dat gratiam. Accedit, quod natura matrimonii omnem respuat potestatem dominicam siue imperium maritale, id quod Apostolus Paulus *ad Ephes. V. 25. 28. 29. & 33.* innuit, quum maritos adhortatur vt diligant vxores tanquam se ipsos, praegnantem addens rationem: *Nullus enim vnquam suam ipsius carnem odio habuit: immo enutrit ac fouet eam, & qui vxorem suam diligit, se ipsum diligit.* Efformata fuit Eua ex Adami costa; *Maritus ergo*, ait Ioh. Sam. Stryk *in diss. de matrim. iure ac institut. c. 2. §. 15., non vilioris conditionis esse putet vxorem, neque eam despiciat, quae ipsius pars corporis est.* Argumentum quidem non omni exceptione maius, bene tamen illustrans est.

§. LXXXII.

Tandem intentio Apostolorum, de mulierum subiectione loquentium, probe indaganda est. Vera est vniuersalis ista propositio: *Christianismus non alterat politiam.* Ipse Saluator legibus politicis & consuetudini Iudaeorum nuncium haud mittebat, sed decorum, si modo cum vana & damnanda superstitione non erat coniunctum, exacte obseruabat, id quod etiam Apostolos fecisse, extra omnem dubitationis aleam est. Non solum iudaei sed & omnes orientales mariti erant superiores vxoribus suis, & haec praerogatiua maritorum in longa consuetudine & deco-

decoro inueterato erat fundata. Hortantur igitur Apostoli, ne contra decorum semel introductum mulieres imperent maritis in ecclesia, sed amicae directioni maritali sese submittant, addita hac, quae nostram firmat sententiam, ratione: *ne sermo Dei blasphemetur.* Conf. *Tit. II. 5.* Docebant Apostoli *Gal. III. 28. Coloss. III. 11.* omnes, qui Christo nomen dederant, per fidem in Christum, absque status discrimine saluos fieri, notanter enim ait Paulus: *Quicunque in Christum baptizati fuistis, Christo fuistis induti. Non est Iudaeus, neque Graecus, non est seruus neque liber, non est masculus ac femina; omnes enim vos vnus estis in Christo Iesu;* Immo de libertate per Christum assequuta scribebant *Gal. V. 13.* Verebantur Apostoli, ne homines maleuoli, id quod factum esse colligo ex *Ep. ad Gal. II. 4.*, hanc hypothesin de sublata sexus praerogatiua & libertate christiana maligne interpretarentur, dicentes: Christianos contra τὸ πρέπον directionem maritalem & patrios mores penitus euertere, quapropter disertis verbis commendant mulieribus subiectionem, *ne sermo Dei blasphemetur.* Et ex hac ratione interdicunt quoque mulieribus publicum docendi munus, a iudaeorum moribus penitus alienum. Praeterea luculenter ex *1. Ep. ad Cor. XI.* adparet, haec omnia de iudaeorum decoro intelligenda esse, quia in hoc capitulo imperium Iudaeorum maritale, non lege quadam publica sed consuetu-

suetudine introductum, aperte coniunctum est cum aliis propositionibus de decoro loquentibus.

§. LXXXIII.

Immo disputandi methodus, qua in hoc capitulo vsus est Paulus, haud praetereunda est. *Commate tertio* ait: *Velim autem vos nosse, Christum esse omnis viri caput: caput autem mulieris virum: caput vero Christi Deum.* Ex his verbis *commate quarto & sequentibus* infert Apostolus, virum operto capite, & mulierem orantem non operto capite suum dedecorare caput, & turpe esse mulieri tonderi aut radi; *commate decimo tertio* haec omnia in *decoro* fundata esse ait, & tandem *commate decimo sexto* declarat, se cum aliter sentientibus non esse disputaturum, quum sufficiat, ecclesiam Dei aliud decorum non habere, adeoque Apostolus Paulus non primario se fundat in rationibus supra allatis, sed ad τὸ πρέπον sui aeui inprimis prouocat, id quod ex *commate vndecimo* satis patescit, argumenta antea allata destruendo aiens: *Attamen neque vir absque muliere, neque mulier absque viro, in Domino. Sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem: omnia vero ex Deo.* Argumenta ergo ab Apostolo adducta non sunt demonstratiua, sed tantum illustrantia, siquidem Christus non solum mariti sed & mulieris, iuxta communem Theologorum sententiam, caput est; si enim *ad Ephes. V. 23.* Christus ecclesiae

siae caput dicitur, mulieres autem, id quod nemo in dubium vocabit, ad membra ecclesiae sint referendae, satis nostrae propositionis veritas adparet. Sequitur ergo vt Apostolus in verbis: *Christus est caput mariti, & maritus caput feminae*, tantum vsus sit argumento illustrante, quo adhortari voluit fideles vt τὸ πρέπον in hoc passu obseruarent, ne sermo Dei blasphemetur.

§. LXXXIV.

Neque nostrae hypothesi obstant verba: *1. Tim. II. 12. Mulieri enim non permitto auctoritatem vsurpare in virum*, quippe ex quibus non colligitur maritale imperium pro lege absoluta & positiua vniuersali habendum esse, datur enim tertium, aequalitas nempe coniugum, societati coniugali quam maxime conueniens. Neque ratio ab Apostolo adiecta *commate 13: Adamus enim prior formatus est: deinde Eua*, satis stringit, sed tantum argumentum illustrans est, ne mulieres libertate christiana, contra decorum semel introductum, abutantur. Idem dicendum est de sequentibus Apostoli verbis: *Et Adamus non fuit seductus: sed mulier seducta causa transgressionis fuit.* Nulla enim consequentia in hac latet ratione, quae imperio maritali praesidio esse posset, licet non negem in hac propositione latere consequentiam quod femina in maritum habere non possit imperium. Adeoque & hoc argumentum

Apostoli tantummodo illustrans est, praesertim quum idem, secundum coniugii naturam, scribit Apostolus *1. Cor. VII. 4: Vxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed vxor*, quae sententia cum imperio maritali, lege positiua vniuersali praescripto, consistere nequit. Ne dicam aliquid de dicto Apostoli Pauli: *maritus diligat vxorem suam tanquam se ipsum*; quae omnia sane imperium maritale extinguunt, aut saltem ita minuunt vt nequidem vmbra imperii legalis, sed tantum mariti προεδρία secundum morem inueteratum supersit.

§. LXXXV.

Coronidis loco adponere liceat argumentum generale, quod contra leges positiuas vniuersales habetur in *Vsu philos. Wolff. in theologia sect. 2. c. 11. §. 27: Nulla lex, siue naturalis, siue positiua, siue diuina, siue humana ferri a prudenti magistratu solet sine ratione obiectiua, ex ipsa subditorum indole, natura, temperamento, ciuitatisque constitutione, loco, situ & tempore &c. petita. Aliae enim si condantur leges ex rationibus subiectiuis, id est, proprio imperantis emolumento, mero arbitrio &c. prosectae, inhumanae merito censentur. Quales a Deo praescribuntur nunquam. Qui igitur indolem alicuius societatis profundius intelligit, eum fugere haud quaquam potest, quales leges a magistratu prudenti ferendae essent. Non dico,*

quae

quae ferantur, potest enim Princeps indulgere suo, vel ministrorum genio, sed quae ferendae essent, si mens non laeua sit. Supremum in coelis lumen nunquam alias leges fert, quam quae praescribendae sunt, ex rationibus scilicet obiectiuis, quibus solis aequitas continetur, derivandas. Quemadmodum igitur leges ciuiles humanae, si iustae fuerint, ex singularum ciuitatum natura & indole, & intelliguntur & iudicantur: Ita etiam leges Dei ex obiecti, circa quod versantur, natura semper erunt iudicandae. Quod si datur ius Dei positiuum vniuersale, aut habebit rationem in obiecto, aut non habebit, si posterius dicas, declarabis despotam iniquum, solis subiectiuis ductum motiuis, cuius stat pro ratione voluntas, quod non potest non odium Dei, & metum seruilem incutere: si prius autem arrideat, respicere Deum rationes obiectiuas; quoniam lex, de qua disceptamus, vniuersalis supponitur, ratio eius obiectiua tam late patebit, quam hominum societas, cui data est. Itaque non in huius aut illius populi particularis, natura & indole fundata erit ratio legis, sed in vniuersi generis humani communitate. Qui ergo societatem humanam omnem in se considerat, eiusque naturam & indolem vniuersim inuestigat, is ex natura istac perspiciet, cur lex talis lata sit, cur hoc praeceptum nec illud? i. e. is versabitur circa legem naturalem, quid enim est lex naturalis, quam quae ex natura societatis humanae vniuersim spectatae eruitur? itaque lex ista aut nulla, aut natura-

lis; nititur enim ratione vel naturali, vel nulla. Argumentum sane omni exceptione maius.

* * *

APPENDIX.

Ius est vel *diuinum* vel *humanum*, illud diuiditur a Doctoribus in *naturale* & *positiuum*, & hoc subdiuiditur in *vniuersale* & *particulare*.

Docuimus iam, vniuersale ius diuinum positiuum nullo fundamento niti, liceat igitur ad ius diuinum positiuum particulare progredi, id quod iterum est vel *sacrum* vel *ciuile*. Illud alias dicitur ceremoniale, cultum diuinum externum apud Iudaeos respiciens.

De huius propositionis veritate nemo dubitabit, qui ex sacrarum literarum paginis didicerit, Deum inter Iudaeos habuisse regnum sacerdotale. Notatu digna sunt verba quae *Exod. XIX. 4.* relata legimus. Moses a Deo ad Israelitas missus sic eos alloquebatur: *Vos ipsi vidistis, quae fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi, nunc itaque, si sedulo attendetis voci meae, & custodiueritis pactum meum, eritis mihi in peculium prae omnibus aliis populis, nam mea est tota terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta. Et respon-*

respondit populus: omnia quae locutus est Dominus, faciemus. Ex his verbis satis adparet, Deum iniisse pactum cum Israelitis de se in regem eligendo, &, accepta oblatione, Deum eligisse Iudaeos in suum populum peculiarem, in quo regnum & sacerdotium, legibus & ceremoniis exquisitis instructum, stabilire vellet. Edocemur porro quod Deus, prius hoc pactum quam initum esset, nullas leges iudaeis praescripserit speciales, sed postea demum, quum Moses populi consensum ad Dominum retulisset, de tabernaculo fabricando, de legibus ad politiam & cultum religiosum pertinentibus cogitauerit. Ad leges ceremoniales varia sacrificiorum genera, constitutio sacerdotum & horum officia, celebratio festorum, immo & Sabbathi institutio, & quae sunt reliqua, pertinent. Sabbathi institutionem ad hanc classem esse referendam non solum supra ad liquidum perduximus, sed & post Io. SPENCERVM *cit. tr.* plenius hoc docuit Io. SAM. STRYK *in opusc. de iure Sabbathi c. l.* & Theologus Rostochiensis celeberrimus FECHTIVS *in Schediasmate theologico de libertate Sabbathi.* Ex his omnibus indubie constat, legem ceremonialem tantum ad iudaeorum respicere rempublicam. Idem est dicendum de legibus positiuis particularibus iisque *ciuilibus*, quae & *forenses* appellantur. Diuiditur ius forense iudaeorum in *publicum* & *priuatum*, hoc alias *morale* vocatur, quia mores iudaeorum

rum priuatos formasse, illud vero statum reipublicae iudaicae pro obiecto habuisse dicitur; vtrumque tamen ad rempublicam iudaicam, & homines, in ea viuentes, potissimum habuit respectum, & falsissimum est, ius forense iudaicum hodienum christianos obligare: licet enim primario ad statum iudaeorum publicum non habuerit respectum, sufficit tamen quod Deus tanquam Rex iudaeorum, vti *Exod. XIX.* legimus, iudaeis, tanquam subditis suis, in regno sacerdotali viuentibus, & specialiter electis hoc ius forense priuatum praescripserit, vti supra satis probauimus. Interim tamen non nego principia honesti, quatenus in hoc iure forensi priuato inueniuntur, obligationem internam hodienum producere. Deus quum hoc ius positiuum tanquam legislator sapientissimus promulgauerit, facile patet, illud omnibus aliis legibus ciuilibus esse praeferendum. Rationem huius rei facile inuenies. Omnes respublicae suum ex auaritia & ambitione ducunt originem, hinc quoque omnium fere rerumpublicarum leges in ambitione & auaritia sunt fundatae; sequitur ergo, vt hi legislatores fere ad vnum omnes destituti fuerint veris sapientiae principiis, & magis studium belli quam pacis sint sequuti. Id quod longe aliter se habet in legibus mosaicis, quippe quae magis humanitatis studium inculcant, ambitionis auaritiae & voluptatis idola destruunt, aequitatem prae se ferunt, delicta

cta seuere coercent, & iustitiae administrationem promouent, vti THOMASIVS *de prudentia legislatoria* falsè differens *c. 8. & 9.* pluribus demonstrauit. Interim ius diuinum positiuum particulare, quod primario ad statum iudaicum spectat, ita cum statu Israëlitarum cohaeret, vt ad respublicas hodierni seculi adplicari non possit.

Scribit hanc in rem GVNDLINGIVS. *Politic. seu prudent. ciu: In denen Gundlingianis im lezten Stück c. 5. §. 3. p. 84: Nemo non videt, primum Reipublicae Hebraeae statum ac leges eum firmantes insigni pulchritudine efflorvisse, quas reduci posse vix erit, qui credat; vel si quis sit, qui hoc sibi persuadeat, inque exemplum hanc Rempublicam proponat, a ianua aberrabit certe, vel nolens volens admittet, ducendos nos esse longinquo per desertum itinere, ac neci dandos ad vnum paene omnes, ne vitiorum inolitorum venena nouum corpus inficiant in loco selecto, ac montibus concluso, ne ad nos serpat malum externis ab oris, conditamque Rempublicam recenter commaculent; Deo Rectore inprimis, non autem hominibus imperii habenas pro suo, vtut sat rationali arbitrio, tractantibus. Quod an fieri possit, futurumque sit, vnusquisque expendat; non neglectis auctoribus, qui de Republica Hebraeorum scripsere,* CONSTANTINO L'EMPEREVR, BERTRAMO, SIGONIO, MENOCHIO, CVNAEO, LEIDECKERO,

CKERO, FLEVRIO, ST. PHILIPPO, *aliisque.*

Vtrum leges, quae *Leuit. XVIII.* habentur, ad ius morale, an positiuum particulare, in Iudaeorum Theocratia promulgatum, spectent, nec ne? non sine ratione quaeritur; illo enim casu nullam admittunt dispensationem, hoc autem casu, omnes, qui legislatoria gaudent potestate, suis subditis interdicta soluere possunt.

Hae leges si omnibus hominibus sint praescriptae, sane fundamentum obligationis adesse debet; neque in legibus diuinis positiuis vniuersalibus, neque in naturali iure, vti supra pluribus probatum dedi, hoc inuenire licet; quapropter nonnulli Doctorum cum SELDENO & VITRINGA ad nouum argumentum confugiunt, dicentes: *Christianismum esse Iudaismum reformatum, adeoque eas mosaicas leges, quae ad morum reformationem respicerent, licet moralitatem intrinsecam exspuerent, non esse abrogatas.* Hoc ratiocinium citati Doctores extendunt ad Leges, quae *Leu. XVIII.* habentur, & imprimis loco medii termini incestuosum illum, de quo *1. Cor. V.* legitur, in scenam producunt.

Negare quidem non possum, primaeuos Christianos, ne in crimen sacrorum prohibitorum inciderent, sub nomine *Iudaeorum reforma-*

formatorum in Republica romana vixisse; neque inficias ire possum Christianos primaeuos, immo ipsos Apostolos Iudaeorum mores fuisse sequutos: Sed illud ex necessitate hypothetica, hoc vero factum est, ne crabones irritarentur, siquidem de ipsa circumcisione, quae tamen aperte ad solos Iudaeos spectabat, lis inter ipsos Apostolos exorta est; ne dicam Apostolos *decorum* apud Iudaeos vsitatum, obseruasse & commendasse, vti *1. Cor. XI. 4-14.* legitur: Nemo autem inde argumentabitur, hoc decorum eam ob caussam Christianos obligare. Neque me mouere potest obiectio dissentientium, expressis verbis legi *Leuit. XVIII. 24-29.* incestum in oculis Dei esse rem abdominabilem, vt aliter calculos subducam. Nam res abominabilis in S. S. generaliter dicitur, quod Deus prohibuit, quamuis haec prohibitio praeter Iudaeos, alias gentes adeoque Christianos non tangit. Sic v. g. Iudaeis tantum prohibitus est esus nonnullorum animalium, & nihilosecius legitur *Deuter. XIV. 3.* ex versione B. Lutheri: *Du solt keinen Greuel eßen.* Res itaque abominabilis, *ein Greuel*, erat respectu Iudaeorum, quibus eiusmodi esus erat interdictus, minime autem ad alios populos hoc extendi potest, vti iam CLERICVS *ad Pentateuch.* obseruauit.

Immo si omnia, quae Iudaeorum respectu prohibita legimus, abominationem in se consi-

dera-

sideratam producerent, & eradicationem operari deberent, cur, quaeso, Iudaei ethnicis, qui religionem iudaicam amplecti vellent, permiserunt, vt contra *Leuit. XVIII.* nuptias contraherent? Immo si haec verba generaliter intelligenda essent, sane Aegyptii, concubitum cum sororibus admittentes, eradicari debuissent, nec in tantam gentem excrescere potuissent.

Praeterea ex verbis, quae in ipsa promulgatione habentur, satis adparet, interdictas nuptias ad Iudaeos tantum pertinere. Sic enim ait Deus Leuit. XVIII. 2. & XX. 2. 26: *Ego sum Dominus vester.* Item: *Haec loqueris filiis Israel.* Item: *Eritis mihi sancti, quia sanctus ego sum Dominus, & separaui vos a ceteris populis vt essetis mei.* Quid multa! Argumentum, quod supra adduxi, *de quo populo exceptio loquitur, de eo quoque populo loquitur regula*, firmo stat talo, meamque sententiam: Leges mosaicas *Leuit. XVIII. & XX.*, si eas, quae iuris naturalis sunt, exceperis, Christianos per se non obligare, confirmabit omnino.

DISSERTATIO EPISTOLICA
DE
GRADIBVS ACADEMICIS
SVPPLEMENTI LOCO AD CONRINGII
ANTIQVIT. ACADEM. DISS. IV.

QVA

VIRO CONSVLTISSIMO NEC NON
DOCTISSIMO

IOANNI HENRICO HAVWELMEYERO

SVMMOS IN VTROQVE IVRE
HONORES
GRATVLATVR

IOANNES ANDREAS HANNÉSEN
I. V. D. ET PROSYNDICVS
CIVIT. GÖTTING.

GOETTINGAE
CIↃ IↃCCXLVII.
TYPIS IO. FRIED. HAGERI.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1857968670/phys_0223
DFG

DISSERTATIO EPISTOLICA

DE

GRADIBVS ACADEMICIS

SVPPLEMENTI LOCO AD CONSTITVTA

ANTIQVIT. ACADEM. DISS. IV.

QVA

VIRO CONSVLTISSIMO NEC NON

DOCTISSIMO

IOANNI HENRICO

HAVWELMEYERO

SVMMOS IN VTROQVE IVRE

HONORES

GRATVLATVR


IOANNES ANDREAS HANNESEN

I. V. D. ET PROSYNDICVS

CIVIT. GOTTING.

GOTTINGAE

TYPIS IO. FRIED. HAGERI



Q. F. F. Q. S.

Propoſita ſunt recte ſua virtutibus praemia & ſupplicia vitiis, quum, iuxta SOLONIS effatum, praemio & poena rempublicam contineri certiſſimum eſt.

Ceſſit quam ſaepiſſime honor pro praemio nunc & olim, quia honoris apud animum excelſum maxima ratio eſt, compendii minima, aut etiam nulla.

Palma igitur victoribus, recepto a Graecis more, dabatur olim. Ponebantur heroibus Statuae palmares; & ii, qui meruiſſent victoriam, toga palmata tantum vtebantur.

Praemium omnis periculi ac fortitudinis in corona quoque collocabant veteres; hinc ARISTOTELIS (*a*) de felicitate dictum, quod ea ſit praemium, finisque virtutis, coronae plane conuenit.

Phocioni, teſte PLVTARCHO, quum Graeciam libertati reſtituiſſet, nihil ſane quid-

a) ARISTOT. mor. Nicomach. lib. 1. c. 9.

quam, praeter coronas, datum esse scimus publico decreto, quod in his omnia praemiorum genera ipsi data esse putabant ciues.

Parta in Olympiacis ludis corona honoratissimum fuit praemium, (*b*) & extra hos ludos bene de republica merentibus cedebat corona pro maximo praemio; vnde CICERO: (*c*) *Qui tyrannum occiderit, Olympicarum praemium capito; & quam volet sibi rem a magistratu deposcito; & magistratus ei concedito.*

Et coronam obsidionalem, quae fuit graminea, teste Plinio, omnium honoratissimam (*cc*) fuisse, auctores docent. Laurum quoque inter alia victoriae symbolum fuisse nemo negauerit. Iam apud VIRGILIVM (*d*) Aeneas, qui fuit quadringentis ante Romulum annis, Cloanthum lauro coronat.

Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique aduelat tempora lauro.

Et laurus quum victoriam significat, necesse est vt triumphum quoque designet.

At victoria, sicuti laurus, est Apollinis; vnde OVIDIVS (*e*).

Qua-

b) Vid. CAROLVM PASCHALIVM de coronis lib. 6. c. 16.
c) Lib. 2. de inuent.
cc) Conf. PHILIPPI CAMERARII horae subcisiuae Cent. 3. cap. 44.
d) Lib. 5. Aeneid.
e) Lib. 4. Tristium.

Quaque ibis manibus circumplaudere tuerum.
Vndique iactato flore tegente vias.
Tempora Phoebea lauro cingentur, Ioque
Miles Io magna voce Triumphe canet.

Et tanti honor huius lauri fuit apud veteres, vt eam morte ipsa emere non dubitauerint viri fortissimi, qua de re HORATIVS (*f*) scite canit:

Herculis ritu modo dictus, o plebs
Morte venalem petiisse laurum
Caesar Hispana repetit penates
Victor ab ora. (*g*)

Hoc in sagata quum moris esset militia, sane haud absonum videbatur maioribus nostris ad togatam militiam simile quid proferre. Excogitati idcirco sunt gradus academici, id est, ordines ac dignitates, quibus homines in republica viuentes, studiis artibus atque doctrina imbuti, decorantur.

Refert BVLAEVS (*h*) Germanicae Nationis statutum, quod huc pertinet, sequentibus

f) Lib. 3. Carm.

g) Plura de lauri significatione & vsu vide apud CAROLVM PASCHALIVM coronarum lib. 8. c. 10. *sqq.*

h) CAESAR EGASSIVS BVLAEVS in histor. Vniuersit. Parisiensis Tom. II. Secul. IV. diss. 7. p. m. 675. Liber hic, teste D. Heumanno, Academiae nostrae qui insigne ornamentum praebet, tam rarus est in Germania, vt neque MORHOFIO neque CONRINGIO

bus verbis: *Cum Scholasticarum dignitatum, vtpote* GRADVVM *nomina quandam scientiarum virtutumque eminentiam praetendere videantur, indecens est quempiam huiusmodi* GRADVVM *titulis honorari, nisi profunditate scientiae morumque simul grauitate caeteros antecellat &c.*

Originem graduum academicorum nonnulli altius repetunt.

Tria horum genera, puta *Baccalaureatum*, *Licentiam* & *Magisterium*, olim tantum fuisse cognita, extra omnem dubitationis aleam positum est. Ad hos gradus, (*i*) quasi per allusionem, respicere videtur GVILLIELMVS *de* S. AMORE (*k*) dum, psalmos in tres quinquagenas diuidens, inter alia scribit: *Primam quinquagenam decantant* INCIPIENTES *in primo statu.* Secundam cantant PROFICIENTES *in secundo statu.* Tertiam cantant PERFECTI *seu* PERVENIENTES *in tertio statu.*

Athenienses tres studiorum gradus habuisse

GIO occasio contigit hoc opus inspiciendi, quum alias hic posterior inde *Antiquitates* suas *Academicas* suppleturus erat. Optimum itaque vir summe rever. D. HEVMANNVS cepit consilium, quod recensionem huius libri, eius vnum exemplar bibliotheca nostrae Academiae possidet, adcuratam in *bibliotheca historica academica p. 152. sqq.*, quaeque HERM. CONRINGII *Antiquitatibus academicis* adiecta est, litteris consignare voluerit.

i) Conf. BVLAEVS c. l.

k) In praelectione libri Psalmorum.

se tum GREGORIVS NAZIANZENVS tum BALSAMON memoriae prodiderunt.

Primus Gradus vocabatur δοκιμὴ seu *tentamen* incipientium & ad perfectionem tendentium, & cum Baccalaureatu nostro comparatur.

Secundus Gradus dicebatur τιμὴ id est *honor*, quia supremum honoris fastigium, quemadmodum nostri Licentiati, iam attingerent.

Tertius Gradus τελετὴ nominabatur, id est *perfectio*, quum ψήφῳ τῶν Ἀριστῶν *optimorum calculo* probati & digni iudicati essent, qui acciperent τὴν τῦ τριβῶνος ἀξίαν *honorem pallii*, siue, vti alii efferunt, *pallium sophisticum*. (*l*)

Idem fere de Chinensibus narrant scriptores, quippe quibus tres eruditorum sunt gradus, SIEVEAI, KIVGIN & CIN-SV, quorum priores cum nostris Baccalaureis, & duo posteriores cum Licentiatis & Magistris conuenire dicuntur.

Sed de Athenienſibus & Chinensibus nostros gradus academicos qui deriuet, scio neminem, & is sane non delectu aliquo aut sapientia ad iudicandum, sed impetu & temeritate quadam duceretur.

l) Τρίβων est vestis lacera siue pallium, & comicus τὴν τρίβωνα opposuit τῷ νυπυτίῳ tyroni rudi & rerum imperito, vnde per se patet quod ὁ τρίβων metaphorice virum doctum & litterarum studiis optime imbutum significet.

Interim tamen non desunt, qui a Iustiniano illos profluxisse contendunt.

Existimauit Iustinianus Imperator, iuris studiosos eo magis iurium cognitioni operam daturos, si, iuxta illud: *Dat Iustinianus honores*, ipsis certos honorum gradus, pro ratione scientiae & doctrinae proponeret; quam ob caussam, quum quinque annorum spatium studio iuris destinasset, incipientes, qui antea *Dupondii* dicerentur, *Iustinianaeos* nominauit. Secundi anni studiosi *Edictales*, & tertii anni *Papinianistae* dicebantur. Peracto triennio, quum iam legum aenigmata soluere possent, studiosi iuris a λύω *soluo* vocabantur *Lytae*, & tandem *Prolytarum* nomine gaudebant quinquennales studiosi, quia in soluendis iurium nodis, adeoque & doctrina & arte *Lytas* superarent.

Sed haec Graduum nomina vna cum iuris romani vsu in desuetudinem postea abierunt, & Graduum academicorum, qui hodie florent, principium esse non possunt.

Vbi vero & quo tempore hi Gradus primum instituti sint, merito ad doctam ignorantiam refert Bvlaevs. (*m*)

Hoc tamen certum esse videtur, iam Caroli M. tempore, vti Navdaevs (*n*) testatur, Baccalaurei nomen fuisse cognitum.

Nec

m) e. l. p. 679.

n) In libro singulari de antiquitate scholae Medicae Parisiensis.

Nec minus ORDERICVS VITALIS (*o*), qui sub Philippo & Ludouico Crasso floruit, de quodam Helia scribit: *Custodes itaque laudabili iam fide probati Heliae candidam iusserunt tunicam indui, pro qua* CANDIDVS BACVLARIS *solitus est ab illis nuncupari.* Et, hoc testimonio non obstante, non desunt, qui existimant, Irnerium siue Wernerum, Bononiensem illum Professorem, tres illos Gradus Baccalaurei, Licentiati & Magistri, iuxta Imperatoris Iustiniani mentem, circa annum 1150. instituisse, & Baccalaureos Lytis, Licentiatos Prolytis & Doctores Antecessoribus comparasse.

Vetustissimum est nomen Doctoris, & hanc inter Magistrum & Doctorem constituit BVLAEVS differentiam, *quod Magister is sit, qui tirocinio confecto Magisterium Artis assecutus est, donatusque Magistrali laurea; Doctor vero proprie is sit, qui docet aut docuit artem quam nouit.*

Suspicatur CAMILLVS BORELLVS (*p*) circa annum 1150. *Iureconsultos primum Doctores promotos, & Magistrorum nomen a Doctoribus fuisse separatum;* quam sententiam litterae Alexandri III. anno 1159. ad Academiam Bononiensem missae (*q*), confirmare viden-

o) Lib. 10. Histor. Eccl. ad an. 1100.

p) In Tract. de Magistratibus lib. 1. c. 8.

q) Verebatur enim Pontifex ne a partibus Octauiani, qui aeque ac Alexander sedem papalem ambi-

tur, quippe quae *Legis Doctores a caeteris Magistris Bononiae commorantibus* adcurate distinguunt.

Nec minus OTHO MORENA (*r*) circa idem tempus quam saepissime quatuor Legis Doctorum, ad conuentum missorum, meminit.

Verum enim vero hanc Doctorum appellationem non dignitatem quandam, sed praeceptorem, cuius munus in docendo consistit, significare, satis ex MORENAE verbis (*s*) adparet.

Dicam quod res est. Disciplinis liberalibus siue in Artium Facultate non defuerunt quidem Gradus nonnulli, simulac Academia Parisiensis fundata est, *sed Gradus in Theologia & caeteris Disciplinis*, vti BVLAEVS (*t*) scribit, *non fuerunt instituti, nisi longe post fundatam Vniuersitatem* (Parisiensem), *eorumque instituendorum exemplum sumptum a Gradibus in Artium* Facultate *iam pridem institutis.*

Maxi-

ambiret, haec Academia staret, quam ob causam, teste BVLAEO, hanc epistolam scripsit.

r) In Chronico Laudensi de conuentu apud Roncalias anno 1158. a Friderico I. habito.

s) Ita enim scribit: *Istorum autem quatuor Doctorum & quam plurium aliorum fuit D. Guarnerius Doctor antiquior. Ad quem cum in extremis laboraret, accesserunt sui Scholares dicentes: Domine quem vultis post mortem vestram Doctorem nobis constituere?*

t) c. l. p. 683.

Maximo interim probabilitatis gradu niti tur sententia, Papam Gregorium IX. anno 1231. quippe quo tempore, vti BVLAEVS (*v*) testatur, *Vniuersitatem Parisiensem exulem & extorrem Parisios reuocauit*, Gradus Academicos in formam redegisse. Eiusdem quoque sententiae est HERM. CONRINGIVS (*x*), qui haec verba Bullae, Academiae Parisiensi, a Papa Gregorio IX. missae, ex fide GABR. NAVDAEI (*y*) adducit; *De Physicis autem & Artistis Cancellarius promittet, bona fide examinare Magistros, & non nisi dignos admittens repellet indignos.* Ex his verbis concludit CONRINGIVS non solum inter Medicos & Philosophos, sed & in scholis Theologicis & Iuridicis hanc laudabilem consuetudinem in vsu fuisse. Immo in sequentibus addit, omnino probabile esse, Imperatorem Fridericum II. ad exemplum Papae Gregorii IX., idem in regno suo Neapolitano, intuitu Facultatis Medicae, obseruasse, praesertim quum extra omnem dubitationis aleam positum sit, seculo decimo tertio in omnibus Facultatibus Doctores fuisse creatos.

Sed

v) c. l. p. 682.

x) De antiquit. Academ. Diff. IV. n. 24. p. m. 137.

y) Fide NAVDAEI ideo vsus est CONRINGIVS quia integram hanc Bullam non prodiisse scribit c. l. in supplem. LXIV. p. m. 353. Maximam partem publicauit hanc Bullam RENATVS CHOPPINVS de sacra politia forensi lib. 3. p. 562. & 563.

Sed his missis, nonnulla de Graduum nominibus & significatu adducere liceat.

Baccalaurei nomen vnde originem habeat disceptant Doctores. Quidam cum DESIDERIO ERASMO (z) hoc a *baculo*, quod ipsi competat ius gerendi baculum, quemadmodum hodie in nonnullis Academiis studiosi saltem biennales hoc sibi moribus, tanquam praecipuum, concessum esse credunt, deriuare non erubescunt, rati, eam ob caussam apud WALSINGHAMVM (a) eiusmodi promotos vocari *Bacularios*. Ait BVLAEVS *c. l. p. 680*: Beatum Rhenanum existimare Bacalariorum Academicorum insigne olim fuisse Baculum, vt & militarium, qui non gladiis sed fudibus & baculis exercitii gratia in torneamentis robustissime se batuerint. Adducit quoque BVLAEVS WILIELMVM WATSIVM in Glossario Mathaei Parisiensis dicentem: *De Academicis Baccalaureis nihil habeo nisi hoc vnum annotare, Baculos scilicet in dextris portare, olim Philosophi fuisse insigne.* Ῥόπαλα τῇ δεξίᾳ φέροντες οἱ φιλόσοφοι. Sane, pergit BVLAEVS, Βακτρίαν φορεῖν olim honorificum, vt legitur apud ATHEN: THEOPH: CHRYSOSTOM: *hom. 19. ad Populum.* At hanc deriuationem RODOLPHVS GOCLENIVS (b) merito nugatorum vocat, quem-

z) In Dialogo de pronunciatione Tom. I. edit. Lugdun. Batav. p. 919.
a) Pag. 309.
b) In problem. gram. lib. 2. probem. 73.

quemadmodum etiam id, quod de baculo aureo adferri solet. Alii, duce ANDREA ALCIATO (*c*), a baccis lauri hoc nomen profluxisse contendunt, quod, qui primo honoris gradu essent insigniti, iis olim corona, ex lauri baccis confecta, imponeretur. Verum & haec sententia sub lestae est fidei, siquidem CAROLVS PASCHALIS *toto libro octauo Coronarum* de lauro eiusque vsu circa victoriam & triumphum, de laureatis ianuis, nuntiis caduceis, tabellis &c. de lauro pacifera, de faticidio vate laureato, de responsis per laurum editis ab Apolline, de omine quod e lauro accensa capiebatur, de lauro cantaminibus adhibita &c. loquutus est, ita tamen, vt semper mentionem faciat frondis & rami, adeoque corona ex lauri baccis confecta apud nullum auctorem inueniatur. Iterum alii, adstipulante IOANNE SELDENO (*d*) existimant Baccalaureum significasse ordinis militaris candidatum, & dignitatem Equitis ambientem, eaque fini arma exercentem,

Ait CVIACIVS (*e*) & CHOPPINVS (*f*) tres gradus ad dignitatem per arma adspirantium fuisse, nempe *Baccalaurei Equitis* & *Banneretti*, & *Chiualierie* Equitatum, seu Equitis dignitatem, *Bachelerie* autem Baccalaureatum

c) Ad L. 57. π. de V. S.
d) In titulis honorum p. 11. c. 3.
e) Ad feud. lib. 2. tit. 7.
f) De Doman. lib. 3. tit. 26. §. 14.

atum significaisse. Eiusdem sententiae est Carolvs du Fresne (*g*); & scribit inter alia Seldenvs (*h*): *Hinc videtur desumpta vox illa ad primos denotandos gradus in Academiis illorum, qui sunt Magisterii Candidati, in opificiis etiam & sponsis, qui sunt coniugii ac amoris Candidati, vt eos appellant in Piccardia & apud nos in Anglia.* Bachelette *vocatur etiam in Piccardia puella quam procus ambit, vti Baccalaureus vocatur procus.* Sed in hac deriuatione sibi non satis constans est Seldenvs, siquidem paullo ante (*i*) ait: *Vnde vox* Bachiler, Baccalaureus *deriuetur, non aeque manifestum est. Quidam dicunt compositam quasi* Bascheualier, *ratione habita ad* Chiualier Banner, *seu* Bannerettum, *sub quo isti Equites Baccalaurei ordinarie moruerunt. Alii deriuant a* Batailer, *ac si nomen corruptum fuisset ex* Batailers, *latine* Batalarii. *Alii formant ex* Baccalauri. *Alii ex* Bas Eschelon, *id est primo gradu eruditionis & equitatus. Verisimillima autem videtur deriuatio a voce* Buccellarii *significante tempore declinantis Imperii militem seu militis seruum, semper ad expeditionem paratum, & actiones alias. &c.* Item paullo post: Bacheler *seu* Baccellarius & Baccalaureus *deriuata vox ex* Buccellarius, *primo denominans omnem militem, postmodum, coniuncta* Cheualier, *denotauit primum Equitatus gradum &c.* Maxi-

g) In Glossar. sub voce Baccalarii.
h) c. l. p. 288.
i) c. l. p. 286.

Maxime quidem veritati consentaneum esse videtur, Baccalaureum a tyrone militum originem traxisse, at vocem *Bacheualier* seu *Bacheler* i. e. *Bas Cheualier* radicem huius nominis esse, ab omni probabilitate alienum est, quia iam aeuo CAROLI M. nomen Baccalaurei fuit cognitum, ad haec tempora vero pronunciatio vocis *Bas Cheualier* non quadret. Magis arridet sententia RODOLPHI GOCLENII (*k*) dicentis: *Gallorum veteri lingua* (*kk*) Battalum *praelium, & tyrones milites, quique castra sequi, & velitari coepissent, ac semel cum hoste conflixissent, quos Graeci* προμαχεῖρας *vocant*, battalarios *nominatos, neue oder iunge Kriegsmänner. Hinc postea in Academia Parisiensi perantiqua, vbi scholasticae hae promotiones videntur natae* Battalarios *vocari solitos, qui in studiis disciplinarum, quae ad humanitatem pertinent, rudimenta & quasi tyrocinium posuissent, & publice disputando eruditionis suae specimen praebuissent, & ita tanquam cum hoste nempe barbarie & inscitia manum conseruissent. Sed consuetudinem & ignoran-*

k) In problem. gram. lib. 2. problem. 73.

kk) In Academica Parisiensi natum esse Baccalaureum, testimonio est BVLAEVS c. l. p. 681. ideoque hoc nomen Gallicanae non Italicae esse originis contendit, praesertim quum Bononiae *Baccalaureatus* pro Gradu nunquam fuerit, neque requireretur ad Doctoratum seu Magisterium, secus in Francia, vt differte notat REBVFFVS. Somniant igitur, qui a *Lauro* vel *Baccalauri* deriuationem arcessere volunt.

rantiam, vt alias innumerabiles, sic ipsam vocem deprauasse, ac pro Batalariis *primum* Baccalarios, *deinde* Baccalaureos *in sermonem latinum induxisse.*

Baccalaurei itaque in infimo constituti sunt gradu, ita vt ad Magisterium siue Doctoratum adspirare possint, vel, vti BVLAEVS (*l*) adcuratius scribit: *Baccalarii seu Bachelarii gradus tribus praerogatiuis gaudebat, gestandae cappae rotundae, Missas Nationales frequentandi, & incipiendi in Artibus. Poterat ergo, imo tenebatur Baccalarius publice docere eas artes, quas determinauerat, eo fine vt probata diligentia & capacitate in numerum Candidatorum Licentiae adscriberetur. Quod vt commodius praestare possent, plerique se Magistris addicebant, eorumque in scholis certis horis lectiones aut quaestiones aliquas tironibus explicabant. Et tales dicebantur Archi-scholares.*

Peracto Licentiae tempore mittebatur, Baccalaureus ad Cancellarium (*m*), qui eos auctoritate Pontificis, adhibito benedictionis ritu, licentiabat, i. e. potestatem vbique terrarum docendi munus obire concedebat (*n*). Neque tamen absque examine hoc factum esse videtur, adducit enim DV FRESNE (*o*) ROBERTVM DE SORBONA dicentem: *Multis magnatibus fit aliquan-*

l) c. l. p. 684.
m) Conf. CONRINGIVS c. l. supplem. 64.
n) BVLAEVS c. l. p. 685.
o) Sub voce *Licentiari.*

quando gratia, vt licentiantur sine examinatione. Exceptio autem, vt dicere solemus, firmat regulam.

Hi Licentiati ad Magistros suos reuertebantur, & persoluto certo iure, quod *Birretationis* dicebatur, insignia Magisterii, inter quae Pileus & Birretum primo loco habebatur, consequebantur. In die creationis ducebantur honoris caussa in publicum conuentum, & solemnitas gratiarum actione & conuiuio claudebatur. Et his peractis nouus Magister, in consortium *Electorum Magistrorum Parisiensium* cooptatus, gaudebat omnibus Magistrorum priuilegiis. Ex his omnibus colligit BVLAEVS (*p*) collationem Licentiae a Summo Pontifice vel Episcopo, Magistri autem ab Academia pependisse. Magister proprie significat iuxta PAVLI (*q*) sententiam: Eiusmodi hominem *cui praecipua cura rerum incumbit, & qui magis quam caeteri, diligentiam & solicitudinem rebus, quibus praesunt, debent. Quin etiam ipsi Magistratus per deriuationem a magistris cognominantur. Vnde etiam cuiuslibet disciplinae Praeceptores, magistri appellantur a monendo, vel monstrando.* Fuerunt

p) c. l. p. 685.

q) L. 57. π. de V. S. Conf. quoque FESTVS lib. II. & AEGID. MENAGIVS amoen. iurisciu. c. 39. p. m. 300.

runt itaque varii generis apud Romanos magistri; dabantur enim magistri pagorum, societatum, pecoris, nauis, curiae &c. & magistri studiorum (*r*) tandem ii erant, quibus docendi munus apud Romanos erat concreditum, de quo argumento erudite, prout solet, loquutus est CONRINGIVS (*s*).

De etymologia vocis etiam solliciti fuerunt eruditi. Nonnulli a *magis ter*, quod ter aliis eruditis maior sit, Magistri nomen deriuant. Alii a graeco μαγίσως, quasi μαγίας ἴσως *magia sciens*, seu *sapientiae peritus*, quemadmodum πολύϊσως *multiscius*, originem petunt. Iterum alii contendunt Magistrum a *Mago* deriuandum esse per deminutionem, quasi Magister sit *paruus magus*. Nec desunt qui ab antiquo verbo *magistrare* i. e. regere, moderari deducunt. At omnes has deriuationes explodit GOCLENIVS (*t*) non sine ratione, & ICto PAVLLO, a *magis* hanc vocem deriuanti, addit calculum, ita vt *ter* sit adiectio syllabica.

Magistri, secundum hodiernam praxin, proprie creantur in philosophica Facultate, quamuis

r) L. 7. C. de prof. & medic.

s) c. l. diss. 4.

t) c. l. problem. 74.

uis abusiue quoque nominantur Doctores philosophiae, quum alias tantum Medicis, ICtis & Theologis proprium sit, vt summis honoribus condecoratos appellent Doctores.

In iure romano nemo nisi Professor appellabatur Doctor (*v*) Interim *Doctor* & *Magister* in aureo latinae eloquentiae seculo nominabatur is, qui munere docendi gaudebat, qui in argenteo seculo vocabatur *Professor*, quique tandem in aeneo seculo nomen *Antecessoris* consequutus est, vti Vir summe Reu. D. HEVMANNVS (*x*) bene monuit. Doctores sunt vel *Bullati* vel *Academici*. Illi a Comitibus Palatinis, (*y*) Diplomatis siue Bullae interuentu, praeuio examine, insignia doctoralia, hi vero in Academiis honores summos consequuntur. Possem de priuilegiis & praerogatiuis Doctorum nonnulla proferre, si extra epistolae cancellos, quos mihi ipse

v) CONRINGIVS c. l. p. 109. & 110.

x) In praefat. ad CONRINGII Antiquit. Academ. p. 17.

y) Conf. IOH. GEORG. SIMON. in Praesidio Academico Tom. I. diss. 5.

ipse circumdedi, egredi vellem. Hoc tantum addere liceat, omnium Facultatum Doctoribus magnam olim in Imperio nostro venerandam constitutam esse auctoritatem, siquidem in Constantiensi Concilio a Caesare SIGISMVNDO & Germaniae Proceribus (z) propositum fuerit, *das der vierdte Theil aller Thumstiften und Pfründen auffgehebet werde für die* Doctores *und* Licentiaten *der heiligen Schrift, desgleichen Geist- und weltlichen Rechtens.* Honorabilis itaque est Doctorum titulus, purpureo pileo, in signum splendoris, condecoratus.

Ne dicam Doctores passim in legibus Imperii nostri Nobilibus & Equitibus (a) fuisse com-

z) Conf. GOLDASTVS Part. 2. Const. Imperial.

a) Legitur *in der Reformation guter Policei zu Augspurg 1530. auffgericht, tit. von Vnordenlicher vnd kostlicheyt der Kleydung §. Pferdts Zeugt: Nachdem auch eyn überflüssiger Vnkost in Pferds gezeugen befunden, so soll hinfürter keyner eynichen Zeugk über zwen Gulden werth, auch Messing vnd gelben Zeug füren, er sey dann Ritter oder Doctor.* Et paullo ante Nobilibus praescribitur quibusnam vestibus & ornamentis vti possint, cui legi additur: *Dergleichen sollen vnd mögen die Doctor vnd Ire weiber auch Kleyder Geschmuck,*

comparatos, & honorificam προεδρίαν in ipsis Ciui-

schmuck, Ketten, gulden Ring vnd anders, Iren Standt vnd freiheyt gemeß, tragen. Vnde nata quoque est diuisio nobilitatis *des Geschlechts- vnd des Buch-Adels.* Vnde dicunt, Doctorem esse nobilem titularem in concreto, non nominalem in abstracto. *Ein Doctor ist edel, aber kein Edelmann.* Vid: CASP. ZIEGLER *de iurrib. maiest lib. I. c. 24. n. 6. ibique cit. DD.* Collineat huc sententia, quam de Doctoribus habuit Imperator SIGISMVNDVS. Hic enim summus Imperii Germanici arbiter quum GEORGIO FISCELLO, Iuris vtriusque Doctori, Equestris militiae insignia contuliſſet, & hic nouus Eques in Synodo Basilienſi animo penderet vtrum Doctoribus, an Equitibus, in alio loco congregatis, se adiungere vellet, & tandem Equitum congregationem prae Doctorum corona eligere videretur: *stulte agis*, ait Imperator, *qui literis militiam praefers: Nam ego milites vna die mille fecerim, Doctorem* (*nempe iuris scientia aliisque artibus imbutum*) *mille annis vnum non fecerim.* Conf. MARQVARDVS FREHERVS *ad* PETRVM *de* ANDLO *lib. 2. c. 13. verb. vtrum Doctor militi p. m. 198.* Falsum itaque est PACIANI quod in Tract. *de probation. lib. 2 c. 41. n. 13* habet pronunciatum: *De inhabilitate Doctoris, per Principem assumti, disputandum non esse, quia semper intelligatur, cum eo super omni macula dispensatum.* Falsam hanc esse opinionem iterum affirmo, si sub verbo: *macula*, absentiam doctrinae & eruditionis comprehendit PACIANVS. Nam CASP. ZIEGLERVS

Ciuitatibus Imperialibus (*b*) Doctoribus assignatam esse, ne sudoribus academicis, lucubrationibus perpetuis, doctrinae ac eruditioni sua praemia desint.

Gra-

de Iur maiest. l. 1. c. 24. n. 10. recte ex BACHOVII sententia scribit: Quum Doctura non simplex sit dignitas, sicut nobilitas, sed in eruditione fundetur, iniurium fore Principem in Doctorum ordinem, si talem creauerit, qui nullo suo merito dignitatem istam affectat. Nominat ZIEGLERVS eiusmodi promotos, *Doctores histrionicos*, qui tantum *personatum* gerunt, quique alias per ignominiam *Doctorelli* vocantur, quum promotio semper ad eruditionem habeat respectum.

b) ICti iam dudum dicti sunt NOBILISSIMI *L. 7. C. de postul.* CELSI & HONORATI *L. 2. & 3. C. de offic. diuers. iudic.* ILLVSTRES *in proem. Dig. rubric.*, quaemadmodum AEMILIVS PAPINIANVS ab ipso Imperatore nominatur VIR EXCELLENTIS INGENII, *L. vnic. C. Theod. de Respons. prud.*; Sed, verba quum valeant sicut nummi, inde mos in Franconia & Svevia Doctores nominandi *Ihro Excellentz* nullum consequitur praesidium, quia hic titulus, tantum Status Ministris, summis belli Ducibus & Potentiorum Legatis proprius, adeoque splendidissimus, temere profanari non debet; mallem igitur, vt vbique locorum hunc illustrissimum respuerent titulum Doctores, honoribus, quos virtus & doctrina praebet, satis condecorati.

Gratulor TIBI itaque, Vir consultissime, de purpurato Doctoris honore, quo studiis tuis academicis honorificam imposuisti coronidem.

Gratulor matri tuae, matronae optimae, de eiusmodi filio, ad summum in iure honoris fastigium elato. Gratulor splendidissimae tuae familiae, summa cum laetitia percipienti, TE pie defuncti patris & consultissimorum auunculorum tuorum vestigia pressisse. Gratulor denique patriae tuae, quae TE doctiorem & ciuem morum optime compositorum, tantoque honore dignum, intra moenia sua, eaque felicissima, propediem recipiet.

Faxit Summum Numen, vt TV praemiis, quibus diligentia TVA coronata est, vsque ad canitiem vti atque frui possis cum insigni emolumento. Vale & Deo duce ac propria virtute comite ad ampliora contende.

Quod ad me attinet, ego, quae te velle, quaequae ad te, & tuos pertinere arbitrabor, omnia, vt Ciceronis verbis vtar, studiose di-

ligenterque curabo; quae cum faciam, beneuolentiam tuam erga me imitabor. Hoc tibi interim confirmo, ac re praestabo, nullum in me studii genus aut officii, quod ad rem tuam pertineat, quod ad laudem tuam valere videatur, vllo esse loco praetermissurum.



OPVS-

OPVSCVLVM DE CONDITIONE BELLO CAPTORVM.

Q. F. F. Q. S.

Seruitutem bello adquisitam tum apud Romanos tum germanicae originis gentes in vsu fuisse extra omnem dubitationis aleam est positum. Tempore BARTOLI & BALDI, qui teste PANCIROLLO *de clar. leg. interpr. l. 2. c. 67. & 70.* seculo decimo quarto floruerunt, adhuc captos in bello, quod Imperator & Papa indixerunt, in seruitutem fuisse redactos, optime euincit HERTIVS *in diss. de hom. propr. sect. I. §. 1.* Sed hodie hoc seruitutis genus plane inter christianos desiit.

Olim in Romanorum Republica capti in bellis ciuilibus pro seruis non habebantur,

quia iniusta reputabantur haec bella, & quum, ex mente Doctorum, ius romanum quacunque demum occasione, licet temere, adplicantium, christiani sint fratres, &, secundum sacrarum literarum praecepta, in amica charitate & pace interrupta viuere debeant, concludebatur inde: Bella inter christianos plus esse quam ciuilia, praesertim quum christiani omnes & singuli dicerentur vnius corporis mystici membra in Christo. Et haec sane vera est ratio, quod omnes populi christianae religioni addicti, quasi ex compacto, vt olearii solent, vel, vt rectius dicam, sacra superstitione correpti, seruitutem bellicam ita, vt capti non amplius fiunt singulorum serui, abrogauerint. Conf. ARVMAEVS *de Republ. lib. 1. c. 3. n. 11.* STAMMIVS *de Seruor. person. l. 1. c. 2. n. 1.* COVARVVAS *ad c. Peccatum P. 2. §. 11. n. 6.* ALBERICVS GENTILIS *de iure belli l. 3. c. 9.*

Rident hoc fundamentum omnes, quibus meliora finxit praecordia Titan, & iam ante nos risit ARNISAEVS *de republ. l. 1. c. 3. sect. 7. n. 9. & 10.* aiens: *Quod si a bellorum ciuilium iure ad bella christianorum argumentari liceret,*

ceret, demonstrandum foret, christianos concludi in vnam ciuitatem politicam. Nam bella geruntur non a ciuibus ecclesiae, quatenus talibus, sed a ciuibus Rerumpublicarum mundanarum, in quos quia varie descripti & diuisi sunt christiani, salua fraternitate spirituali, politico Gentium iure erga se vti possunt, & seruitutes inter se constituere. Et recte monet THOMASIVS diss. de vsu pr. distinct. hom. in lib. & seru. c. 2. §. 28. & 29. adductam rationem ex mysterio iniquitatis a papicolis fuisse protractam, vt eo melius absurdissima hypothesis stabiliri potuerit, Pontificem tanquam vicarium Christi, & totius ecclesiae caput, reliqua huius corporis membra, tum Imperantes tum subditos suae potestati & directioni habere subiectos.

Interea quidquid horum sit, veritati tamen consentaneum est, quod capti in bello hodie apud nos in priuatorum seruitutem non cadant, quia tamen in manum victoris, cuius nutu enses denudantur vagina, veniunt, omnino captiui seruitutem publicam, quae nec apud Romanos incognita fuit, seruire videntur. Nec inconsiderata est horum opinio, qui

qui existimant, lytrum praebere redemtionis a publica seruitute speciem: Licet cum PETRO BELLINO *de re milit. P. 2. tit. 18. n. 12. & p. 4. tit. 3. n. 6. & tit. 7. n. 6.* non faciam, morem redimendorum captiuorum, abolita seruitute, in eius locum *absolute* succesſisse, quam opinionem HERTIVS *in diss. de lytro sect. 1. §. 12.* optime refellit.

Plerumque tamen Doctores inter bella, quae inter christianos, & cum infidelibus geruntur, distinguunt, ita vt infideles in bello capti hodienum quoque seruitutem subire cogantur, & in illis omnia, quae de seruis alias dicuntur, inueniant locum. Veritati conuenit haec distinctio, teste experientia. Quia enim Turcae & infideles in durissimam abigunt seruitutem christianos, recte vtuntur christiani victores retorsionis iure. Quum vero plerumque in pacis instrumento caueri solet, vt captiui vtrinque permutentur, haud adeo frequens est haec seruitus bellica, passim tamen in hoc vel illo captiuo apud nos obuia.

Sed quid de eiusmodi infidele, per captiuitatem bellicam in seruitutem coacto, dicendum,

cendum, qui postea Christo nomen dederit? Pius V. Romanorum Pontifex liberum ipsum esse voluit, Gvdelinvs *de iure nouiss. l. 1. c. 4.* Vtrum vero haec sanctio apud Pontificios locum inueniat nec ne? non adeo liquet: Certo certius tamen est, Protestantes hac lege non teneri. Neque obstant exempla, eiusmodi captiuos, sacro fonte lauatos, a seruitutis nexu liberatos fuisse; distinguendum enim est inter ius perfectum & humanitatis officia, quod posterius fundamentum, absque lege expressa & indroducta consuetudine, domino inuito ius quaesitum aufferre non potest. Subeunt christiani, a Turcis capti, seruitutem iure gentium, quam ob caussam & recta ratio praecipere videtur, vt statim pro mortuis habeantur, omniaque ipsorum iura, quae antea habuerint in ciuitate, sint in suspenso, donec ad suos liberi reuertantur.

In longe aliam pedibus iuit sententiam Strykivs *in Vs. Mod. §. 4. de statu hom.* Imprimis ad Didac. Covarrvviam prouocat, qui *P. II. Relect. ad c. Peccatum de R. I. in 6. §. 11. n. 6.* in haec verba scribit: *Quamobrem, nisi aliud lege humana statutum in*

in specie fit, opinor, erga christianos captos a Turcis vel Saracenis non esse seruandas leges Romanorum, quae de captiuis apud hostes loquuntur; nec esse necessarias fictiones Legis Corneliae & postliminii. Quamuis in his, quae possint in fauorem cedere captiuorum, aequissimum sit, immo omni ex parte iustum easdem leges seruari. Nec enim Reipublicae christianae conuenit, praeter ipsam captiuitatis afflictionem, damnum aliud aut detrimentum christianis apud Saracenos aut Turcas captiuis irrogari.

Aliud quoque huius sententiae fundamentum habetur in iuris canonici principiis, nam Pontifex bella cum infidelibus magis ad latrocinia refert, adeo vt christianis in infideles, tanquam seruos, omnem potestatem concedere non dubitauerit: Qui autem a latronibus capti sunt, effectum seruitutis, ex iuris romani sanctionibus, nunquam sentiunt.

Negandum quidem non est, quod leges Romanorum, quae de captiuis loquuntur, apud nos adplicari non debeant, nec fictio legis Corneliae & ius postliminii inueniat locum; siquidem & nos, non ex iure romano, sed gentium iure, conclusiones formaui-

mauimus; at ratio, quam COVARRVVIAS adduxit: *afflictis non est addenda afflictio*, nullius plane est ponderis, alias enim, ex mente THOMASII *diss. de vsu pr. dist. hom. in lib. & seru. c. 2. §. 34*, christiani a Turcis capti, & ibi aegrotantes, vel dementes facti, non habendi essent pro aegrotis, & eliminatae mentis hominibus.

Neque Pontificis auctoritas apud nos tantum valet, vt bella pro latrociniis, infidelesque pro seruis venditemus; siquidem huic sententiae obstat indubitata veritas, quod gentes inter se omnes sint aequales, neque respectus ad religionem hanc aequalitatem eliminare possit. Et quid quaeso si non Turcae, sed ipsi christiani foederis sanctimoniam fregerint? certe hoc casu Turcas iustissimum gerere bellum facile affirmauerim.

Nulla igitur dubitandi ratio obstat, quo minus christiani, a Turcis capti, apud nos quoque habeantur pro seruis.

Sed obiicis forsan: Et tamen hi miseri homines testamenta in captiuitate condere, vel alio modo de bonis suis disponere possunt immo

